



BERNARDI ZAMAGNAE S. J.

NAVIS AERIA

E T

ELEGIARUM

MONOBIBLOS.

Domus Probationis Soc. Jesu — S. Andreae de Urbe





EXCUDEBAT ROMAE PAULLUS GIUNCHIUS
ANNO R. S. CIƆ IƆ CCLXVIII.

PRAESIDUM FACULTATE.

MARCHIONI

IOANNI PATRITIO

VIRO NOBILITATE HONORIBUS

BONARUM ARTIUM PATROCINIO

PRAESTANTI

RAYMUNDUS CUNICHIUS S.J.

SODALIS SUI CARMINA

D. D. D.





ELEGIA.

PArve liber, culto quem nuper Musa Zamagnae
  Dictavit Pindi vertice in aërio;
Ille mihi multo scriptum comptumque lepore
  Misit dulce suae pignus amicitiae:
Non ego te patiar privata in sede morari
  Inque meo ignotum delituisse lare,
Dum positum pulvisque tegat, blattaeque latentes,
  Vel tineae morsu, trux genus, omnivoro
Pertundant foede. clades haec dira libellis
  Ingruat, invitis promere quos Charisin,
Calliope invita pergunt, incommoda saecli,

Suffeni, proles impia, vel Bavii,
Vates ſtultiloquis complentes omnia nugis;
Nil canere adſueti ni Venerem & Puerum
Et pulchros dominae flammam jaculantis ocellos;
Et genus hoc tricas ſcilicet atque apinas,
Hos nocte in caeca mergi decet, hos dare blattis
Incluſos pluteo prandia lucifugis.
Tu, mihi ſi qua fides, prodi jam lucis in oras;
Aude age te populo credere, perque manus
Ire hominum atque acri cenſorum lumine cerni,
Nil aequo eſt hercle ab judice quod metuas;
Sive legat caeli nantem in ſublime carinam,
Solerti vates quam ſtruit ingenio,
Propellitque novus Tiphys, monſtrante Minerva,
Credo equidem, & campis victor in aëriis
Quo lubet unde lubet flectit ſub caerula vectam
Nubila, ſpectaclum gentibus; attonitae
Magnam quae molem capiti ſuperimpendentem
Defixis monſtro ſuſpiciunt oculis:
Sive poli Dominae laudes cognoſcere malit:
Quam vates pulchro captus amore canit;
Quam ſequitur quacunque tulit ſe dia puella;
Et ſeſe formas concitus in varias
Induit, exſultatque doletque; ingentia mire
Ingenti miſcens gaudia moeſtitiae,
Ardeſcenſque urenſque ſinus & corda legentum,
Qualis

Qualis Felsinei musa (*a*) seris, merito
Cui Thusci assurgunt vates, vatesque Latini,
Atque mera e labris effluit ambrosia,
Dulcior & cycno & Pandionia philomela,
Cantabat sanctis icta cupidinibus;
Cantanti patrio Rhenus plaudebat ab alveo,
Plaudebat totis urbibus Italia.
Felices ambo! sertum Jesseis utrique
Stellifero in caeli vertice diva parat.
Ergo age, parve liber prodi: nil uspiam ab aequo,
Nil inquam est aequo ab judice quod metuas;
Non es quem possit contemnere candida turba.
Nam tristi livet si quis ab invidia,
Stultitia est quenquam quavis huic velle probari.
Cui, quanto res est pulchrior & melior,
Tanto ingrata magis mentemque & lumina laedit;
Cui quisquis tandem se placuisse velit,

(*a*) Franciscus Zanottius vir singulari doctrina atque orationis elegantia scripsit elegias in praecipua festa B. M. Virginis; quae Bononiae typis editae sunt anno 1751. Harum lectione atque admiratione Zamagna excitatus in eodem argumento quid ipse posset expertus est. Utinam multi existant, qui utriusque exemplum sequi velint, ac eodem in sanctissimam Dei matrem amore inflammati, conferant ad ejus laudes illustrandas poeticam facultatem quam nunc quidem in res levissimas bonaeque frugis inanissimas flagitiose profundunt.

Et foedi saevos monstri placare furores,
Mollis, iners, animi parcus & ingenii,
Gaudeat in vili obscurus reptare popello,
Nec laudis quidquam cogitet eximiae.
Tu me audi, obsceniq; gregis sannasque, cachinnosque,
Et dicta, & morsus temnere ne dubita.
Contentus paucis, qui te vultuque benigno,
Certatim & cupidis excipient manibus.
Cerne, favent plauduntque tibi Bonamicius, atque
Staiades, coetus lumina Pierii;
Atque alii, quorum quemvis ego scilicet unum
Sexcentis longe millibus antefero.
PATRITIUS nulli quos inter cesserit ille,
Ille amor, ille urbis gloria Romuleae.
O PATRITI salve, o Romae decus; o bone magnum
Hoc PATRITI duro in tempore praesidium.
Vatibus, omni omnes tibi quos adjungere pergis
Officio, & dulci magnus amicitia
Dignaris parvos; in coetu & carmen eodem
Saepe tuum laeta voce canis. virides
Arcadiae testor lauros, collemque beatum,
Et nemus & nemoris numina Parrhasii.
Salve iterum, atque mei quae mitto pulchra sodalis
Dona (tibi faveat sic tua Musa) cape:
Cunctantemque domus tuta intra septa libellum
Coge tuo inscriptum nomine perque manus
Ocyus

Ocyus egressum perque ora incedere vulgi;
  Nemo tuo clarum nomine laedet opus.
Fide patrocinio tali, jam fide libelle,
  Qualiscunque nihil jam tibi permetue.
PATRITII dicere liber. fac caetera desint
  Omnia, res una haec sospitem & incolumem
Praestiterit. livor frustra latrabit, amaris
  Frustra te dictis lingua inimica petet.
Ut Phoebi postquam dignata est laurus amore,
  Et dici germen coepit Apollineum,
Nil tristes metuit nimbos caelique fragorem
  Horrificum: illa viret sacra comam, patulos
Diffundens late ramos; flammantia circum
  Tela Jovis magno densa cadunt tonitru.



IMPRIMATUR.

Si videbitur Rmo P. Magistro Sacri Palatii Apostolici.

D. Jordani Patriar. Antioch. Vicesgerens.



PHILIPPUS DE ILCIO S. J.
IN PROVINCIA ROMANA
PRAEPOSITUS PROVINCIALIS.

CUM Librum, cui Titulus: *Navis Aeria libri duo, & Monobiblos Elegiarum*: a Bernardo Zamagna Societatis Nostrae Scholastico conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate Nobis a R. P. Laurentio Ricci Praeposito Generali ad id tradita facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has litteras manu Nostra subscriptas, & Sigillo Nostro munitas dedimus.

Romae 4. Martii 1768.

Loco ✠ Sigilli.

Philippus de Ilcio.

A P-

APPROBATIO.

JUdicium meum jampridem a me declaratum de Elegantia ac nitore carminum Bernardi Zamagnae gavisus sum iterum confirmandi mihi opportunitatem dari, cum jussu Rmi P. S. P. A. Magistri ejusdem *Navim Aeriam*, *& Elegiarum Monobiblon* perlegerem: uberrimam enim semper in illo poeseos copiam ac in rebus satis obscuris, ac a musarum consuetudine remotis singularem dicendi facilitatem pari cum venustate conjunctam perspexi. Itaque, cum nihil Religioni bonisque moribus obsit, librum hunc studiosorum & voluptati & utilitati esse posse, si publici juris fiat, censeo.

Datum Romae Prid. Cal. Mart. 1768.

Benedictus Stay SS. D. N. ab intimo Cubiculo & ab Epistolis latinis.

APPROBATIO.

PErmagni refert ad Latini sermonis elegantiam vel retinendam, vel propagandam, ipsum diligenter excoli, & cuivis argumento accommodari. Hanc egregiam laudem assecutus est V. Cl. Bernardus Zamagna Societatis Jesu in iis Carminibus, in quibus nemo verborum nitorem, sententiarum acumen, numerique variam, & aptam compositionem, &, quae maxime Religiosum hominem decet, Christianam pietatem desideret. Utinam ea legant qui inepta quaeque (modo externo sermone conscripta) avidissime inquirunt, suspiciunt, exosculantur, latina omnia contemnunt. Ego vero perlibenter legi, ut mandatis Rmi Patris Thomae Ricchinii S. P. A. M. obtemperarem, cui vere sancteque confirmo, nihil iis inesse, quod Catholicae Religioni, bonisque moribus adversetur, & propterea posse quidem illa in publicam, lucem, atque in manus hominum emitti. Datum Romae die 17. Januarii 1768.

Philippus Bonamicius S. Theol. Doctor.



IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustin. Ricchinius Sacri Palat. Apostol. Magist. Ord. Praedic.

BER-

BERNARDUS ZAMAGNA S. J.

A D

RAYMUNDUM CUNICHIUM.



ELEGIA.

VOcalem aonio celebratam carmine nympham
  Quae prius (*a*) arbitrio ſuppoſuere tuo,
En aliud, Raymunde, ferunt opus ex Helicone
  Adcitae noſtro nomine Pierides
Indictumque novumque. nova ac indicta placere
  Quippe puto vacuas miſſa per auriculas,
Praeſertim ſi naturae e penetralibus ipſis
  Eruta Apollinea luce nitere queant,
Muſaei ac veluti mellis contacta liquore
  Lectorum captos blanda tenere animos,
Patritium in primis, qui me complexus amore,
  Meque

(*a*) Eidem namque & aliam ſcripſit auctor elegiam, quae in illo extat libello, cui *Echo* nomen. Una autem *Selecta e graecis carmina* elegantiſſime ab eodem Raymundo latine verſa habentur.

Meque measque bonus respicit Aonidas.
Altius est terris (*b*) mi nunc iter; altius egit
Bellerophonteis artibus edomitus
Ales equus Pindi audentem trans & juga celsa,
Trans & Parnassi laurigeri nemora
Ventorum in sedes: terras unde arduus omnes
Subjectas prono lumine despiciam
Ipse regens celeri volitantem flamine currum,
Per liquidum ipse notans aera primus iter.
Nec Myniis adeo metuam contendere; nec me
Cretaeus multo vincet honore faber;
Quamquam illi intactae primi rabiem amphitrites
Pacarint nemoris Peliaci trabibus;
Ille autem aligeras volucres imitatus ad arcem
Incolumis tandem venerit Euboicam,
Incolumis, non & felix. tuus, Icare, casus
Heu misero patri gaudia subripuit.

Cujus

(*b*) Recte inquit sibi nunc esse *iter terris altius*, quum prius de Echus natura egerit, nunc vero de aeria navi acturus sit, quam P. Franciscus Lana non poetice minus quam ingeniose adornavit. Ejusdem etiam possibilitatem, ut ipse dicit, planiore ac simpliciore modo demonstravit Tentam. X. primae partis Colleg. Curiosi editi Norimbergae anno 1675. Johannes Christophorus Sturmius Phil. M. Mathem. ac Phys. in Inclyta Altdorffina P. P. & h. t. Univers. Rector.

Cujus ut innantes plumas despexit in undis,
Aeternum optavit pendere supplicium,
Hospite quod crebro flentem pro flavo Ariadnam
Adjuvit contra Pasiphaes sobolem.
O puer, o patri luctus, quid mi tua saepe
Fata refers? animus non mihi tabificum
Ardentis jubar ad phoebi contendere vela:
Altior incedat flammeus ille polo.
Nil mihi cum volucrum pennis; nova Palladis Argo
Surgit in aeriis arte regenda plagis;
Tiphys & alter ego florentis robora pubis
Ducam lascivis carbasa dans Zephyris.
Ecce mihi Uranie puppi comes adsidet, ecce
Ad mea hyanteas vota vocat socias.
Cui faveant musae, violenti Strymonis undas
Froenat, & umbrosam voce movet Rhodopen,
Thebanasque novis circumdat moenibus arces
Et fertur magno sospes in Ionio.
Si velit; & suavi potis ille extinguere cantu
Ipsius irati flammea tela Jovis,
Et potis auratos (c) nexus difringere, mundi
Tollere queis iuret moenia cum superis.
Nam simul ac sacro vox edita vatis ab ore
Illius se in cor detulit insinuans,

Sub-

(c) Homerus *Iliad, lib. VIII.*

Subſiduntque irae, totaque in fronte renidet
  Dulcis pax almae filia laetitiae:
Ipſius & ſceptro ſuper illa avium regina
  Hinc atque hinc laxans parte ab utraque leve
Remigium alarum, poſtquam eſt adfusa ſoporis
  Nubes lenito nigra ſupercilio,
Suave oculis clauſtrum, ſomnos placide levis efflat,
  Atque efflans dorſum ſubrigit uvidulum.
Gaudet quin etiam cantu Mars caede cruentus
  Haſtarum oblitus tunc & equum & clypeum:
Altaque dii quotquot caeleſtia templa frequentant,
  Et ducunt hauſtus ambroſios cyathis.
Jupiter at quoſcumque odit male per vaga ponti
  Aut freta, terrarum vaſta per aut ſpatia,
Pieriae inlecebras oderunt vocis; & acer
  Coeus, & Iapetus ſub ſtyge, & Enceladus;
Quique olim eductus Cilicum ſub rupe (*d*) Typhoeus,
  Nunc Cumis, nunc & litoribus ſiculis
Subpoſtus graviter premitur. ſua pectora ſetis
                                        Nunc

(*d*) Virgilius quidem *lib. III. Aen.* & P. Cornelius Severus ſub Aetna conlocant Enceladum: at Pindarus *Pyth. od.* 1. non Enceladum ſed Typhonem qui & Typhoeus dicitur, Aetna in Sicilia premi adfirmat: ait enim

τυφως ... κιον δ' ȣρανια συνεχει νιφοεσσ' Αιτνα,
  πανετες χιονος οξειας τιθηνα &c.

Hiſpida caeleſti mole gravat cohibens
Aetna pruinoſae ſemper nivis horrida nutrix.
Quae dum ſol rutilat clarus in axe, ſinu
E rabido picea fundit caligine nubem:
Mox idem quum ſe Tethyi reſtituit,
Purpureum ejectans ignem, flammantia volvit
Terrifico rapidum ſaxa ſono in pelagus.
Ardet inextincto volcania gurgite ſedes,
Aeſtuat horrendis ignea vorticibus,
Spectaclum infelix, mirum: ſeu viderit ullus,
Seu narrantem etiam fors alium audierit,
Subter (*e*) ea ut jaceat vinctus, duroque cubili
Ille miſer curvatum adterat uſque latus.
O mihi ſit placuiſſe Jovique & caelitibus dis,
Quos & flos cantus, flos juvat, & citharae:
Ingemat aetnea fruſtra ſub rupe Typhoeus.
Non mi etenim Scythico corda rigent Chalybe,
Saeva nec admovit mi nutrix ubera tygris,
Non Syrtis, non me Scylla vorax genuit.
Cantum amo, muſarumpue choros: meme bona vidit
Naſcentem haud laevo lumine Calliope.
Nam velut aerio ſublucens tramite nubes,


Aut

(*e*) *Subter ea* .... nimirum ſub aetna, ſub qua religatum jacet Typhoei pectus, & ut Pindarus ait ςέρνα λαχνάεντα.

Aut vento ; aut radiis percita apollineis,
Jam gravior justo paullatim liquitur uda ,
Et vapor irriguam solvitur in pluviam ;
Quam subter, casu postquam celeri delapsa est ,
Excipit aridulo terra inhians gremio,
Suave croco aut molli violae calthisve levamen ,
Quum ferus arentes Syrius urit agros.
Sic ipse audito almo Heliconiadum concentu
Protinus in suavem laetitiam solüor :
Quae penitos dum per sensus dulcissima serpens
Imis fibrarum se insinuat latebris,
Non est me risu aut gaudens nata illa Dione
Laetior, aut si quid laetius est Venere. (luptas
Quod bene quum noscas, quumq; haec mihi parta vo-
Non sine te (quid enim te sine profuerit
Insita naturae vis non exculta per artem ?)
Dic age, te pudeat num, Raymunde, mei ?
An potius videar te dignus ? ubi adnuis ipse,
Adnuet & pindo Phoebus ab aonio ;
Ac duce sub tanto tendentem vela per auras
Non Hyades , non me terreat Oarion,



NA-


NAVIS AERIA



ALTER ERIT TUM TIPHYS, ET ALTERA
QUAE VEHAT ARGO
DELECTOS HEROAS ....

Virg. Ecl. IV. *ver.* XXXIV.



NAVIS AERIA.

Liber Primus.



UA valeat remis & vento concita puppis
Nare per aërios tractus; quanam aethere in alto
Arte regi, latias cantu vulgare per urbes
Primus (*a*) ego incipiam. Longe juvat aeris ire
Per medios liquidi campos; juvat invia ferri
In loca ſubvectum rupes atque ardua ſupra.
Culmina parnaſſi, noſtris modo candida coeptis
Uranie adſpires. primam ſi condidit Argo
Per non tentatos auſam decurrere fluctus
Colchidos ad fines Pallas; tu nunc, dea, condè
Argo aliam, latas caeli volitare per oras
Quae ſciat; atque novas artes, nova foedera rerum,



(*a*) *Primus ego incipiam* ..... jure quidem; quum integrum hujuſmodi argumentum nemo, quod ſciam, verſibus illuſtraverit; quamvis & Robertius diſertus ille leporum pater ac facetiarum, & alii fortaſſe partem aliquam attigerint; recentiſſime vero Mazzolarius in poemate elegantiſſimo, quod ſub Parthenii nomine edidit, prope finem *lib. V. Electr.* hujuſce rei mentionem fecerit.

Aëriasque doce vires. tua gloria tanto
Major erit ; puppes quantum super iverit omnes
Haec alias, quantum maria ima excedit olympus.
Tuque adeo nostrae merito pars altera famae
Huc ades aonias musarum exculte per artes,
Ac tenuem quamvis curam ne sperne (*b*), Marine.
Debita jam Marco persolvi carmina : nostrum
Hoc tibi surgat opus, quando florentibus oris
Pieridum jam templa patent, nec mitis Apollo
Audentem frustra pindo me spectat ab alto.

Seu quis (*c*) daedaleos miratus in aëre cursus
Gnossiaco è regno, seu quis per inania missas
Arte Tarentini Archytae, nova monstra (*d*), volucres,
Me

(*b*) Alter hic auctoris frater, Marinus nempe, quem hac in carmine adloquitur, alium jam in eo adloquutus, cujus Echo argumentum, prodiitque typis eisdem editum Romae anno 1764., propediem etiam in Hollandia recusum prodibit.

(*c*) ..... *daedaleos* .... Hesiodus quidem tertiam hujus vocis syllabam produxit, & Horat. Flaccus in Odis non semel. At Homerus corripuit Iliad. lib. δ. *Ζωστηρ δαιδαλεος* &c. & lib. θ. *δαιδαλεον θωρηκα, τον Ηφαιστος καμε τευχων* &c. quem sequuti sunt praeter alios, & Propertius lib. II. Eleg. XI. edit. Elzev. *Daedaleum lino quum duce rexit iter &c.*, & Columella de cultu hort. inquiens : *neu tibi daedaleae quaerantur munera dextrae &c.*

(*d*) De hac re, videndus Plinius *in nat. hist.* Aulus Gel-

Me quoque principiis insistere credit iisdem;
A vero longe fert se avius. illa petenda
E rapido aurarum pulsu est ars omnis, & una
Corporis e textu formaque ipsius: in altum
Ceu pueri quum saepe jubent, si vespere sero
Occiduis auras Zephyrus levis excitet alis,
Tollier ardenti simulatos igne cometas,
Pithonum aut formam, aut cadmeae corpora sphyngis;
Vidi ego & aoniis (*e*) penetralia sacra camoenis,
Thelegoni qua se tollunt juga roscida, & altae
Pinifero placide adsurgunt in vertice villae:
Illic pegasidum resono chorus adsidet antro
Omnis, & ingenti motu dum pulsus aquarum
Prosiliens aer caecis e sedibus exit,
Concentus inter varios & carmina laeta
Buccina & arguto reboat tritonia cantu,

Gellius *in noct. att.* Regiomontanus, Petrus Jac. Martellius in Dialogo de Volatu, ac praesertim Franciscus Lana S. J. celebris in Italia ac philosophus suo tempore ac mathematicus, qui praeter aeriam navigationem, etiam artem hujusmodi diserte docet *in suo prodromo ad lib. mag. nat. & art.*

(*e*) Haec quidem de Pamphiliorum tusculano intelligenda; in quo nihil eorum desideres, quae vel ad amoenitatem spectant vel ad magnificentiam. Lusus vero illius pilae ab aere suspensae in eodem habetur, uti vocant, musarum cubiculo.

Et gracili curam solatur arundine Cyclops
Te memorans, Galatea, tuo succensus amore:
Tum pila, vis animae qua sese erumpit, in altum
Tollitur, ac mota trepidans colludit in aura
Illa diu, prono nec decidit incita casu,
Spiritus excito pariter ni flamine cesset.
At mihi non Zephyri venientis sibilus urgens
Ille ratem, optandus: sileat nemus omne, neque ullae
Aeoliis spirent emissae rupibus aurae;
Posse dabis tamen hanc nubes evadere in altas
Sponte sua, postquam certas prius ordine leges
Aeris, ac varios mecum heic expenderis usus.

Principio terrae vastos circumfluus aer
Ambit, & insequitur tractus, & mollis eamdem
Induit in faciem sese: nisi fervida quantum
Asperat ardentis phoebi vicinia ventos
Illa ciens; quantum Sol ipse, aut proxima sursum
Luna trahit, tumidoque jubet consurgere dorso.
Nec vero usque sibi constans (*f*) infraque supraque
Aer

(*f*) *Quum sit.* (per Nevv. in opt. pag. 342.) *noster aer a totius atmosphaerae pondere compressus, densitasque ipsius aeris proportionalis vi comprimenti; infertur, eumdem aerem 7. millia passus altum a terra rariorem esse quatuor vicibus, quam in superficie; altum 14. millia passus, rariorem esse 16. vicibus; & ita porro, in pro-*
por-

Aer mole pari se densat. rarior usque
Liquitur, ex humili tellure adsurgit in altum
Quo magis atque magis, dum se dissolvat inane
In spatium, quidquam nec tanta e mole supersit.
Ante tamen, penitus languens quam corpore toto
Deficiat, per iter se immensum tendit in astra;
Ac triviae fors ille levi confunditur (g) unda,
Quae pelagi in morem rutilam pellucida cingit,
Aut Martis Venerisque etiam, fluitante vel aura
Ipsius undantis phoebi. verum adpulit illaec
In loca ubi sese, vix ullum rarus ad usum
Sufficit, ac tantum vapor indeprensus oberrat.
Non radios diae jam quit reflectere lucis,
Non roseo pulcrae titanidos ora colore
Pingere, quum rutili celerat praenuncia phoebi
Mane novo; nec item per sera crepuscula lucem
Vel retinere, moras properae vel tendere nocti.

portione nempe geometrica, ut ait Beniam. Martin in adnot. ad G. S., *collata cum proportione arithmetica altitudinis ejusdem* &c.

(g) Doctissimus siquidem Boscovichius in ea est opinione, quam certissimis innixam observationibus atque argumentis vulgavit in dissert. *de Lunari atmosphaera*: nimirum *haberi circa lunam fluidum quoddam homogeneum simile nostrae aquae, quod nempe certum habeat limitem superficiei supremae, in qua plurimum adhuc differat a circumjacente aethere, multo densius eodem sit* &c.

Non aestus minuit rabidos, non tela retundit
Per medium contorta diem phoebea; nec illum
Ebibit, epotumque hominum per membra calorem
Insinuat, qno vita viget, quo frigora ab aestu
Ad sua paullatim transit nox uda, suumque
Frigora post noctis lux candida transit ad aestum.
Ille quidem haec terris majoraque commoda praestat;
Ante (*h*) ducenta pedum ferme quam millia supra
Evolet; ac vasto late se fundat olympo.

Jam porro in multis, nondum quum tanta tulere
Se in spatia hinc aurae volucres, data scilicet illis
Natura est eadem; ac pelagi fluitantibus undis,
Multaqne habent parili consortia munera fato.
Unda fluit, refluitque; viam se lubrica in omnem
Insinuat, gressumque infert, nec cedere rursum
Abnegat, aut vacuum divisa relinquere callem,
Obvia si veniant pellentia corpora. & aer
Sic fluit ac refluit, magno & se corpore miscet
Insinuans, quacumque patet via libera, & omnem
Pro

(*h*) Quamvis certi nihil de altitudine, ad quam aer se protendit, pronunciari possit; Keillius tamen, observatione crepusculorum usus, aerem adhuc sensibilem ad 44. mill. pass. in alt. extollit. Videndus & Boscovichius in hanc rem; praesertim in dissert. *de Aur. Boreali*; in adnot. *ad car. Caroli Noctii, in. suppl. ad Phil. Stay.* & in dissert. cui titulus: *Nova Methodus adhibendi phases in Eclips. Lunaribus*. Subtilius enim ceteris, ut solet, diligentiusque inquisivit.

Pro varia regione loci formam accipit. idem
Stare loco nescit, si quando inpellitur ictu
Corporis immissi liquidus; sed cedit, & illi
Adglomerat sese rediens latera omnia circum.
Unda quoque ardorem mortalibus, unda feraci
Temperat atque hortos atque arida prata liquore
Humectans. radios sic ipse intercipit aer
Solis, & aestivam rabiem levat; ipse per omnes
Herbarum & fruticum venas ingressus hiantes
Efficit, ut laeto pubescant germina foetu.
Num queat ille etiam sedes attollere in altas,
Corporaque instabili suspendere grandia dorso,
In praeceps ne lapsa ruant; suspensa carinae
Robora ceu summa placidi nant gurgitis unda?
Hoc tibi cum primis quaerendum; inveneris unum
Hoc ubi; jam tenues dabitur volitare per oras
Aeris, ac terrae notos excedere fines
Classibus insuetum per iter; jam lintea ventis
Pandere, & ad superas altè conscendere sedes.
Nonne etenim lapsasque ornos alnosque cavatas
Sive pado innantes, flavi seu tybridis alveo,
Vidissent quum forte secundo labier amni,
Inventi tunc primum homines, qui corpora truncis
Credere, & auderent viridantes linquere ripas
Provecti fluvio? mox & contendere contra
Coepere, adverso aut luctantes flumine tonsis,

E mo-

E molli aut alte tollentes carbasa veste,
Paullatim ac magnis veluti proludere factis.
Donec ut evulsas miratae cycladas undae,
Nequidquam rapidis contra indignantibus Euris,
Ire rates longe aethiopum de finibus usque
In scythiam, extremi positus qua terminus orbis
Torpet hyperborea glacie, sub sole maligno.

Non levis interea auraï natura putanda,
Nam gravis est; certosque suo pro pondere nisus
Exerit; & fluido sustentans plurima tergo
Corripit, alterius quae sunt opis indiga, ut alte
Vel saliant, caelo sese vel pendula librent.
Indicio ardentes boreae de parte nivalis
Memnoniam falso referentes ore parentem
Aurorae; lapsusque vapor titanis ab aura
Saepe colorati pingens confinia mundi.
Indicio nebulaeque udae fumique volucres
Aetherio longe suspensi in tramite caeli:
Ille etiam indicio argenti, quod clauditur arctis
In tubulis, liquidi adscensus; roresque sequaces,
Antlia quos alte puteo sustollit ab imo
Irriguas hortis scatebras arentibus; undam
Sicubi dura soli vivam natura negavit
Murmure labentem rauco per laevia saxa.
Quippe diù nimium viguit sententia, rebus
Illa suam facilis levitatem adfingere multis,

Aut

Aut (*i*) vacui horrorem consueta obtrudere: in atris
Quum tenebris moerens, letheaque flumina propter
Nondum tollebat caput Experientia in auras.
Munere quae divum postquam caeca antra reliquit
In superas advecta plagas, circum omnia victrix
Corpora, quae terras late quaeque aequora cingunt,
Edocuit petere ima. lapis vel missile quodvis
Aut lycio cornu aut balearis verbere fundae
Expulsum, in superas propere licet evolet oras,
Paullatim flectitque viam, terraeque trahenti
Paret, & ex alto victum delabitur axe.
Corpoream siquidem partes infusa per omnes
Vis agitat molem, vasto & se robore prodit
Illa quidem major majori in corpore: pondus (*l*)
Unde in rebus inest, oriturque unde impetus ille,
Corpora quo deorsum, quantum in se est, cuncta feruntur,
Subsiliunt neque sponte sua. non roscidus humor,
Non vapor excitus thuris, nec flammeus ardor
Ignis, & aetherii liquidissima caerula tractus,
Phoebeique illo radii sine munere constant.

Sae-

(*i*) Frequentissimus est apud antiquiores peripateticos Philosophos *Vacui horror*, quo omnia, quae ab aeris pressione nunc repetuntur, non obscure minus, quam absurde explicabant.

(*l*) In philosophia recentiori *pondus in corporibus est ex attractione, imo ipsa attractio ad hunc effectum determinata.*

Saepius at vero cernis quod flumina propter;
Flumina, seu stagna exiles adtollere sese
Vallibus ex imis fumos nubesque vaporum
Mane novo; tum summa ignis quod sidera flammis
Altus adit, patrioque velut succedere olympo
Gaudet, & adsurgit tenuato vertice in auras,
Ne tibi dent, caveas, cernenti talia fraudem.
Haud propriae nituntur opis vi: scilicet aer
Absiliens pressus, circumque adfusus ab imo
Cuncta, minus grave pondus habent quaecumq; premendo
Subvectat, certaque sui regione reponit.
Nonne vides, si forte manu stagnantis ad ima
Gurgitis immittas arentem ex arbore virgam?
Unda premens circum subterfluit, ac levat imo
Dejectam e fundo, sursumque adtollit: at illa
Uda redit, summoque natans adparet in amne.
Non fieri id certe sine vi subigente putandum est
Ingenitam propter levitatem in corpore quoquam;
Pondere majori sed quod sustollitur alte
Cui minus est pondus: suspensa in lance pusillum
Corpus ut a magno sublatum fertur in auras.
Sic & dulcis aquae gravibus super innatat undis,
Propterea quod habet minus in se ponderis, humor
Palladius. nempe hoc sancitum est foedere certo,
Legibus & certis naturae, ut fluvida quaeque
Subsidant magis ima, magis quo pondere pollent

Aucta

Aucta gravi, ſupraque minus gravia omnia dorſo
Corpora ſubſtentent: rariſſima quaeque natabunt
Summa, neque alterius ſedem depreſſa ſubibunt.
Proinde etiam ſi quando levem ſive aetheris auram
Sive globos navimque meo tibi carmine dicam,
Nec tu rere leves auras, nec pinea navis
Texta, globoſque leves: inſunt ſua pondera cuique.
Sed quoniam magis iſta gravis, minus illa reperta
Res fuerit primae conlata; haec altera ſaepe
Aut levis aut levior dicetur, ut exiget uſus,
Aptior & numerus, muſaei & gratia cultus.

Quae bene ſi teneas, etiam fateare neceſſe eſt,
Aëra tollentem nebulas igneſque volucres
Nubilaque uda, gravi nitroque & ſulphure foeta,
Poſſe ratem, minus illa gravis modo conſtet, & ipſam
Ferre alte Zephyris implentem vela ſecundis,
Libratamque ſupra ſaltus, atque ardua tecta,
Cur etenim vires non heic exerceat aer,
Cur gravior non ille gravem minus evehat alte
Velivolam caeli diffuſo in gurgite molem?

Qualis at iſta ratis? tenui quo corpore texta
Exiguo certare auſit cum pondere maſſae
Aëriae, poſſitque alte ſuſpenſa tumenti
Ceu pelago ſeſe librare? o ſi modo rerum
Tam varias inter ſpecies foret ulla reperta,
Pondere quae liquidis nativo cederet auris,

Prae-

Praestaretque eadem solido textu! illa laboris,
Illa mihi haud parvam curarum accommoda partem
Eximeret; satis una foret. sed cognita nulla
Materies rerum est, solido tam corpore constans
Tamque gravi, grave quam solidumque heic postulat usus:
Nec fors notescet seclis venientibus. arte
Idcirco, natura homini quod parca negavit,
Tentandum, possit si vinci. major in arctis
Saepe venit rebus solertia, ducit ab ipso
Objice saepe suas animi vis concita vires.
Quò res cumque cadant, dulcis rapit impetus ire,
Orbita qua vatum nulli signata priorum
Difficili aonios divertitur ardua clivo
Ad fontes: juvat intactam decerpere laurum,
Et juvat integri latices adtingere rivi.
Mira, indicta canam; sed mira indictaque rerum
Castalidum chorus almus amat, diffusa per omnes
Si partes veri species effulgeat. ergo
Jam volucris superas olim ducenda per undas
Asseribus mihi cymba e pinu aut abjete sectis
Surgat, cui circum pinguis latera omnia cera,
Nariciae & patulas claudant picis unguina rimas.
In medio malus, qui veliferas antennas
Sustineat, possitque immisso picta rudente
Et legere & placidis rursum dare carbasa ventis.
Rostrum prora gerat; nec scylla aut dira chimoera
Tor-

Torva tuens instet rostro ; verum armiger ales
Formosum ad superi portans Jovis aurea templa
Dardanium juvenem . in puppi mihi Daedalus alas
Explicet , ac dextra cursum regat , ipse magister ,
Insuetae comes ipse viae : jam sidera laeva
Erigonenque helicemque arctosque ostendat in alta
Sede poli . nimis ille autem pueriliter audax
Icarus hinc absit : quamvis praecepta sequutus
Si foret , euboïcas sospes venisset ad arces ,
Triste nec augurium coeptis ingentibus esset .
Tum demum volucris caelato in robore currus
Aeolios ponam fratres . hac parte serenus
Nubila aget boreas scythica nive , & horridus illa
Nigrantes quatiens pennas caput exeret auster ;
Eóis hinc Eurus equis volitabit , & illinc
Floribus adspergens Zephyrus rutilantior arva ,
Ac tremulo leviter crispans vaga caerula motu .

Talis acydaliae veneris , quem mille sequuntur
Hinc atque hinc pueri aligeri , ninguntque rosarum
Imbre super , sudo fertur levis aethere currus .
Talis & ille , fero laesum qui vulnere Martem
Sustulit ad caelum pernix , & gargara & altam
Implevit fugiens magnis stridoribus idam .

Haec tua puppis erit : sed ne mihi laetior axem
Hoc subito ad caeli properes adsurgere terra
Ex humili . quondam liquidas ennabis ad auras ,

Nunc

Nunc vetitum frustra conanti. pondere pressa
Cymba suo, quamvis invitent flamina cursum,
Terrae adfixa manet, necdum levis evehit illam
Aeris aura gravem. tu qua pervincere victor
Cuncta queas, artem paucis age percipe dictis,
Atque alte memori praecepta in mente repone.
Protinus in magnum curvanda est lamina ferri
Ducta globum, ferri, sive aeris, sive oricalchi;
Mole sua tantum qui curvis aëra claudat
Parietibus, quantus satis est, ut pondere vincat
Ille, globi pondus, proprio. dein aura per artem
Scilicet extrahitur paullatim, atque oris hiatus
Iam vacuo in vase obstruitur, via libera rursum
Ne pateat, ne qua subeat penetrabilis aër.
Interea sursum vacuus globus ennatat, ac se
Librat agens hinc inde auris tollentibus. illum
Ni teneas, superas numquam rediturus in oras
Quippe abeat, nebulisque erret commixtus in alto.
Quid? si non unum, plures at feceris orbes
Hoc genus, ingentesque adeo vastumque tumentes,
Intus uti magnam vim claudant aëris, ipsam
Quae superet longe puppimque & vasta globorum
Pondere majori latera? in sublime volantes
Effugient, navimque ferent, si forte tenaci
Jungatur nexu, simul ac gravis exiit aura.
Aspicis, ut pueri quum stagna per humida nerei
Nare

Narè timent, discuntque tamen: ne pondere mersi
Aequoreis vitam ponant sub fluctibus, utrem
Vel tumidum dorso pavidi prius addere suerunt,
Subere vel molli inniti. sic aequora tentant,
Hac ope se librant: quantum gravitate premuntur,
Tantum etiam tumido contra attolluntur ab utre;
Qui minus est multo quoniam fluitantibus undis
Ipse gravis, non ille alte super innatat unus,
Sustinet at summo iunctum sibi gurgite pondus.
Nec me forte putes tibi somnia fingere vatum,
Falsaque pierio commenta ornare lepore,
Aëra quum doceo graviorem evadere posse
Nempe globis ex aere aut duro corpore ferri.
Nullae heic insidiae vatum; nec pelion ossae
Impositum canimus, durumque cubile Typhoei
Inarimem, aut aetnam Enceladi; non caucaso alto
Usque renascentis jecur immortale Promethei,
Tergeminumque canem, flammantiaq; ora Chimoerae;
Phorcidas, Harpyasque, & corpora Centaurorum.
Talia cecropiis sub mendaci Aracyntho
Sat celebrata viris; semper florentis Homeri
Talia sat cecinit non uno carmine musa.
Vera magis canimus, quam quae vel corniger Ammon,
Vel tripode e Clarii suevit responsa sacerdos
Reddere, quum tenebras mortalia pectora nondum
Excutere, ac tectam valuere agnoscere fraudem

Ambagesque dolosque. ita tute fatebere victus,
Ni refugis, certasque piget cognoscere leges,
Ipsius e veri sacris penetralibus haustas.
Per medium (m) quaecumque globum nam linea recto
Transit ubi ductu hinc atque hinc, ea dicitur axis
Ipsius transmissa globi. dimensus in aequas
Hanc quascumque velis partes & quotquot, ad illum
Si referas, magno rectam qui amplectitur orbe
Circulus, inventa subito laetabere tota
Corticis externi facie. tum secta suique
Dimidia iam parte carens ea recta trientem
Totius ad magni referatur corticis; ipsa
Alta dabit spatia & molem repetita globorum.
Jam geminos conferre globos, iam noscere certam
Ne pigeat seriem, quoque ordine longior axis
Augeat exernam faciem, quoque augeat intra
Ille cavi spatia ampla globi. tres axis in ulnas
Alterius tantum longus procurrat; at alter
Lon-

(m) Haec quidem delibata ex geometria, ut clariora sint, non abs re fortasse erit, si geometrarum verbis exponantur. *Igitur diameter Sphaerae sive axis est recta quaevis per centrum ducta & utrinque terminata ad superficiem. Circulus maximus Sphaerae est ille, qui oritur ex sectione plani cujusvis, quod transeat per Sphaerae centrum. Superficies vero Sphaerae aequatur areae circuli habenti pro radio diametrum ipsius Sphaerae; & soliditas Sphaerae aequalis erit trienti producti ex quadruplo cir-*

Longior alterius sese ulnas proferat axis
Ad denas. primi facies se nempe per ulnas
Parva novem tendet; sedenim curvamine vasto
Centum ulnas facies postremi excurret in aequas.
Quid spatia? an pariter crescant sic ipsa vicissim?
Haud ita: namque globi, cuius fuit extima centum
Lata ulnas facies, eius spatia intus ad ulnas
Mille pares crevere, ingentique augmine turgent.
At vero alterius tantum spatia intima ad usque
Septem & bis denas crevere. ita protinus ampla
Se spatia immensum fundunt, quum longior axis
Curvato se forte globi distendat in orbe.
Haec ratio, haec series, quamvis ingrata camoenis,
Dum myrto idalia & odorato hyacinto
Pindo in florenti texunt halantia serta,
Acciderit, dicenda fuit: namque usibus apta
Pluribus, huic nostro in primis. fors ipsa colendo
Mollior adsuescet parnassi in vertice vatum

B 2 Di-

circuli maximi, vel producto ex triente superficiei & semidiametro. Hinc sphaerae sunt inter se in ratione triplicata diametrorum; earumdem autem superficies sunt in ratione solum duplicata diametrorum: nam areae circulorum maximorum sunt in duplic. ratione radiorum, quibus accedit ratio ipsorum radiorum, quum pro habenda sphaera eae ducantur in diametros vel radios; atque ita fit triplicata. Notandum, in versibus adhiberi heic verbum *Refero* pro *Multiplico* quum ipsa multiplicatio sit quasi quaedam comparatio vel relatio repetita.

Dicier ore. nihil non veſtro munere, divae,
Sperandum, ex quo per ſalebras perque invia quaeque
Stayadem (*n*) vadentem alma excepiſtis in umbra
Sacrorum nemorum, capitique inſigne dediſtis,
Quale prius nulli cingebat tempora, ſertúm.

Hoc igitur proprium formam ſortita rotundam
Corpora habent; facies multo minus extima eorum
Creſcat uti, curvo ſpatium quam cortice clauſum,
Si majora eàdem facias. hinc horrea curvum
Hinc tua ſi referant orbem cava dolia; eàdem
Structa mihi formâ jam ſint, at quattuor ulnas
Exterius mea laxa magis; diſcrimine credes
Non adeo magno ſe inter differre: labore
Quum tamen aſſiduo placati hominumque boumque
Liber & alma Ceres complebunt utraque donis,
Et ſegete & longe vincam te munere bacchi
Ditior, horrentis metuam nec frigora brumae.
Quare etiam minus ipſa gravis licet aeris aura
Cor-

(*n*) Heic Benedictus Stayus praeſul ampliſſ. innuitur, vir in omni litterarum genere plane doctiſſimus, qui jam, quod optandum ei potius quam ſperandum videbatur, illud eſt conſequutus, ut rerum graviſſimarum, quas lucretiano ſtylo deſcribit, difficultas atque aſperitas cum latini ſermonis elegantia ac facilitate certare quodammodo videantur. Itaque de illo recte Cunichius ait:

Vidi

Corpore sit solido, jussum quod possit in orbem
Curvari, evadat gravior tandem illa necesse est,
Usque globus major si turgeat. intima crescunt
Quippe magis spatia atque magis, convexa sed extra
Non pariter crescit facies: fluitantis ut aurae
Pondus item, quamvis fuerit minus ante metalli
Pondere, tunc ipso fiat majus. subit orbem
Aerii fluctus multo nam copia maior,
Quam nova materies, qua grandior extima crevit
Illa globi facies, accedat. proin quoque tanto
Aëre maiori vacuus, pariterque levatus
Pondere maiori tanto globus enatat alte,
Jam vice mutata, caeli suspensus in ora.
Plena velut dulci si vitrea pocula vino
In liquidis demissa sinas immergier undis,
Ima petunt: si mox eadem spumante lyaeo
Jam vacua in summa ponas cava leniter unda,
Suppositis tolluntur aquis, pellucida vitri
Sit gravior quocumque licet natura liquore.

Vidi ego (nam sacri phoebo monstrante poetae,
Quidquid agunt manes, cernimus, & superi)
Vidi umbram ingentem Neutoni umbramque Lucretî
Stayadae media nocte subire domum:
Nec mora; dia viro scribenti carmina magni
Ad latus hinc atque hinc adstiterunt comites;
Alter & incoeptum doctrinae luce rigavit,
Alter musaeo nectare sparsit opus.



Novi autem, melior (*o*) cui iam ſententia viſa
Illa fuit, tenuis pando ſi corpore fiat
Sic ratis, ut vera volucrum ſub imagine fallat
Spectantes, magnaque adeo ni turgëat alvo,
Ignaris iam poſſit avis non ficta videri.
Omnia enim volucri ſimilis; collumque, caputque
Tergaque, multifidaſque alas, caudamque patentem
In quaſcumque voces, facilem ſe flectere, partes.
Jam neque tunc orbes vacui, non ulla paranda
Texta forent ex aere, petant quae daedala nubes.
Nam validis quidquid nervorum viribus uſae
Pennigerae praeſtant volucres, ſeu tollere corpus
In ſublime velint, ſeu pronae inſidere campis;
Hoc homines clauſi curvata in mole per artem
Efficiant vaſto quatientes brachia motu
In numerum, ac pariter pennatae mobile cymbae
Remigium alarum motantes impete magno.
Tum valido plumae niſu adtollentur, & omnes
Accipient, tenuemque magis magis aera carpent:
Donec, ut inſuetos quum prolem ille armiger ales
In-

(*o*) Intellige Petrum Jac. Martellium, cujus heic navis breviter deſcribitur: de hac ipſe primum lib. 4. ſui italici poematis *de oculis Jeſu ad Amaryllidem* mentionem fecit; eamdem poſtea fuſius explicavit, vindicavitque in dialogo, quem *de volatu* inſcripſit.

Inſtruit ad curſus, plumoſa volumina quaſſans
Emicuitque ſolo, caeloque it navis aperto.
Sed quis erit, firmo qui tantum corpore poſſit
Eniti, vireſque ſuas contedere, ut auras
Tollat in aetherias volitanti hanc remige molem?
Multa latent heic falſa: ratem niſi nubila in alta
Evehat excluſo levior globus aëre, fruſtra
Conando miſer ingratum experiere laborem.
Ergo ades, & ſolum mea jam veſtigia ſerva.

Heic etiam vera ratione oſtendere poſſim,
Ille globus quantus ſit oporteat, aetheris oras
Qui queat in ſuperas corpus ſuſtollere, quanta
Auctum mole velis, & quanto pondere. ſed me
Singula ſcrutari, tenueſque evolvere curas
Et piget, & feſſam ſubeunt faſtidia mentem;
Seu quod pimplaeum renuunt hirſuta leporem,
Seu fugiunt quod parva hunc diae lucis honorem.
Cuncta tamen qua ſponte fluant ab origine dicam,
Atque iter oſtendam certum, ne devius erres,
Aut incerta ſolo gradiens veſtigia figas.
Sat cognoſſe viam: neque enim tibi laudis amore
Pectus eget, metuiſque viae te credere ſolus
Quamvis difficili: ſic & jucunda voluptas
Fors magis adveniet, per te quum plurima noſces;
Et velut inventis primum laetabere rebus.

Jamque puto, (*p*) densae tenui quam differat aurâ
Pondus aquae, tibi notum. isto discrimine rite
Servato, vacuum certae iam molis ahenum
Ponderis & pariter certi manantibus undis
Imple instans summo patuli tenus oris hiatu.
Tunc tibi se infusae manifesto pondere prodet,
Quod vacuo nuper veniens accessit aheno,
Augmen aquae, proditque suum dum pondus, & ipsum
Quippe gravis prodat simul aeris augmen, ibidem
Si foret inclusus pura pro fluminis unda.
Praeterea notum quum sit, globus ille tumescens,
(Dimensus quippe ante), sua quae mole receptet
In

(*p*) Indicatur methodus adhibita ab ipso Lana in magisterio nat. & art. *Ratio ponderis* aeris (ait ille) *ad pondus aquae non eadem a philosophis omnibus assignatur: per quosdam enim est ut* 1. *ad* 700. *aut* 800. *aut etiam ad* 1000. *Heic vero assumitur aerem esse ad aquae pondus, ut* 1. *ad* 960. *parum enim nunc refert exacta determinatio. Supponitur deinde pes cubicus aquae esse pondo libr.* 80. *idest unciar.* 960. *nam haec est Romani pedis antiqui communior mensura, de qua Villalpandus, & Ricciolius in Almag. Hinc sequitur aeris pedem cubicum habere pondus unius unciae. Sit iam vas diametri pedalis capax* 80. *librarum aquae seu unciar.* 960. *Aer in ipso contentus ponderat unciam unam, pondus autem materiae, ex qua vas conflatum est, duarum sit librarum seu unc.* 24. *extracta porro unica aeris uncia, vas istud in aere ponderabit* 23, *uncias. Fiat nunc ejusdem materiae & crassitiei*

Interius spatia incurvus; tibi nempe patebit;
Quantus & esset, aquae si tantum, aut aeris intus
Clauderet, inclusae vis undae, aut aeris unum
Vincat uti gravior non ipsum pondere; at illi
Qua tu cumque velis simul addita corpora mole.
Sic aliis semper praepandunt lumina rebus
Res aliae sociasque inventae prodere gaudent.
Verum ne coepto frustra lassatus in ipso
Deficias, parvo moneo tentamina vase
Molirique rudem, parvisque adsuescere curis,
Excursusque breves tentare. ita major ab usu
Adveniet vis usque novo curamque subire

Au-

---

sitiei aliud vas Sphaericum, cujus diameter sit pedum 25. cum nempe sit superficies in ratione duplicata diametrorum, jam ut 1. ad 25. ita 25. ad 625. superficies prodibit; & cum illa supponatur ponderare duas libras, haec altera superficies ponderabit libras 1250. At moles seu capacitas cum sit in ratione triplicata diametrorum, ut ista habeatur, fiat, ut 25. ad 625. ita 625. ad 15625. Quare cum aer prioris vasis unam ponderet unciam, aer contentus in hoc majori aequabit pondus unciarum 15625. seu libr. 1302. & unc. 1. Igitur pondus vasis seu superficiei seu laminae metallicae minus est pondere aeris, qui in illo vase continetur, adeoque differentia est lib. $52\frac{1}{12}$. *Itaque si totus aer e vase educatur, vas ipsum specifice levius erit aequali aeris mole, & ascendet in aere ita, ut sibi conjunctum pondus lib. 25. sursum valeat evehere.* Haec fere Lana; eademque methodo quaecumque ratio patebit quaesita,

Audebit quamcumque. vides, ut saepe per auras
Quum tener insuetas nido jam praepes ab alto
Gaudet abire? prius se circum frondea tecta
Exercet volitans, atque has atque insilit illas
Ramorum ad sedes; mox se pernicibus alis
Sustulit expertus, monteſque & nubila supra
Evolat, ac celeres vocat in certamina ventos.
Quid tamen haec exempla avium sequor? adspice docti
Conatusque (q) viri egregios inventaque dia
Sarmatia in gelida. postquam ille inspecta notavit
Per caelum spatia ampla & inaequales excursus
Astrorum, terraeque vices dispexit, & acer
Componens versansque diu, quas repperit, omnes
Contulit inter se leges, subvectus in altum
Uraniae curru caeli regione locavit
In media solem; qua ceu regnator ab aula
Imperii vastos regeret moderamine fines
Nulli non aequus. subito stetit ipse viaï

Jam

(q) Nicolaus nempe Copernicus natus est Thoruniae una ex Prussiae, ut nunc vocatur, Polonae urbibus, anno 1473. Ejus planetaria hypothesis olim, quemadmodum nonnulli volunt, etiam a Pithagora Samio aliisque antiquissimis philosophis usurpata fuit; ut non omnino nova & ab eo excogitata, sed renovata potius, atque exculta feliciter censenda sit. Lege elegantissimam ejusdem descriptionem in lepido illo Fontanellii dialogo *Sur la pluralité des mondes*.

Jam nimium longae fessus, viditque volentes
Mercurium veneremque simul cum marte jovemque
Saturnumque senem sua jussa facessere, & omnes
Circum se unanimes volvi, tellure relicta.
Indoluit deserta quidem, sed non quoque tantam
Tendere vim contra valuit. quin fervidus heros
Multa reluctantem frustraque hinc inde revinctam
Corripuit: correptam immani turbinis ictu
Impulit, astrorum nimirum ut legibus acta
Iret & ipsa viam. quo impulsu concita sedem
Deseruit veterem, quam tot regina per annos
Obtinuit; pariterque suo super axe voluta
Auricomum solem rapido circumdare motu
Coepit, & adsiduo ferri late acta rotatu,
Iam trivia comitante una: quam nulla viri vis
A domina potuit, non ipse avellere frater.
Tantus amor telluris! eam comitatur euntem
Semper, & exercens circum revoluta (r) choreas
Bissenis illius iter, semel integer annus
Dum cursum explerit, gyris ingentibus ambit.
Quid memorem legesque viri servandaque jura,
Omnibus imposuit quae certo foedere stellis;

Erran-

(r) In hac significatione Manilius etiam *lib.* I. *Astronom.* accepit hanc vocem . . . . . .
Et quinque adverso luctantia sidera mundo
Exercent varias naturae lege choreas. &c.

Erranteſque vagaſque ſuos ut clauſit in orbes,
Unde novus caelo venit decor? ardua nulla
Uſque adeo res eſt homini, ſi figere certo
Calle queat greſſus, animique extendere niſus.
Namque novas pronum inventis eſt addere rebus,
Principiis atque e paucis, quae cognita conſtent,
Multa ignota patent, aliud quum diſcere pergas
Ex alio, eque datis quaeſita evolvere rerum,
Paullatim claro donec ſe in lumine ſiſtant.

Nunc locus eſt liquidam curvis ex orbibus auram
Extrahere, ut ſurgant imis de ſedibus: adſis
Heic etiam; non te per longa exorſa tenebo.
Nam quamvis modus haud auras educere ſimplex,
Quid tamen ardentis referam flammaeque calorem,
Argentique uſum vivi, roremque liquentem;
Quum fragili conſtans e vitro eſt cognita moles
Admiranda tibi Boylaea, haud pervia fluctu
Illa quidem aerio, ſimul ac occluditur oris
Subter hians aditus? multa ergo canalibus arte
Adpoſitis, ultro citroque meante cylindri
Robore in inſertis apte ſiphonibus auram
Aſſidue motam certant educere vaſe
E vitreo. illi inſtant: paullatim pulſus at aer
Effluit, ac vacuas ſedes magis uſque relinquit.
Tunc videas ſubter, via qua patefacta, flagrantes
Extinguique faces agitari & flamine chartas;

Aſt

Aſt intus ponitque apicem depreſſior ignis,
Tinnituſque negant ſolitos muta aera ciere.
Tunc, ſi forte prius ſit viva incluſa volucris
Intus, eam ſubito cernas langueſcere, & alas
Pandere demiſſas, ac totos intremere artus:
Jamque huc jamque illuc errantia lumina volvens,
Extremoſque ciens gemitus vix ducit hiulco
Ore animam ſenſim fugientem, auraſque requirit
Nequidquam eductas. ſtat circum plurima pubes,
Intentoſque tenens oculos miratur: at illa
Aegra cadit, clauſoque jacet jam mortua vitro.
Quid paleas plumbique loquar grave corpus eodem
Tempore delabi? quid quae jam plurima poſſis
Aeris educti certiſſima credere ſigna?
Cur igitur tenuem nequeas hoc aera pacto
Orbibus ex illis haurire? haud magnus ab una
Parte aditus pateat, cui providus ante cavatos
Adde tubos, bibulo qui ductu ſugere poſſint
Aera, paullatimque foras emittere, & arcte
Oſtia complecti; ne qua novus involet ipſum
Inter opus, tota poſtquam vel ſede receſſit.
Omnia nam turbantur; & irrita vota querere
Conatumque artemque ſimul, ſi rima pateſcat
Parte aliqua vel parva. illa citus irruet aer,
Lubricus atque iterum ſuccedet ſedibus iſdem,
Nullo ceſſurus niſu nulloque labore eſt,

Illum

Illum quamquam instes multa vi pellere contra
Obnixus, tentesque industrius omnia; rimam
Ante fatiscentem vigili ni clauseris arte.
Illa mali caussa est, illam citus obstrue; neve
Aut operae lentus p arcas, aut sumptibus ullis.
Nec tibi se quisquam jactet prudentior auctor,
Dicere neu coeptet, non ullo posse labore
Educi e curvis penetralibus aera totum;
Sed fore, qui semper maneat subtilior, aurae
Aemulus aetheriae. sat enim est, si crassior ille
Effluat arte cavis eductus ab orbibus. aether
Qui remanet, vix ipse suo cum pondere quidquam
Exiguus tenuisque addit, vel deprimit orbes
Subter agens, luci puroque simillimus igni.
Ille etiam longe metus absit, ne qua fluentum
Aurarum vi sublatis, vacuisque globorum
Parietibus clades nascatur, laevia rumpens
Claustra, atque immani dissolvens cuncta fragore.
Non etenim tenui ingentem sine cortice in orbem
Curvati, fragilique globi de corpore vitri,
Aerii tranare parant qui gurgitis undas.
Deinde etiam quum sint omni de parte rotundi
Aeris impulsum circa fluitantis ad omnes
Accipiunt aeque partes; visque undique nisu
Omnibus in punctis aequali affusa feritque
Defenditque globos eadem, quantum illa fatigans
Irruat

Irruat hinc pulſu valido, tantum urgeat illinc
Nempe opus eſt contra, ſeque ipſa elidat inani
Impete. nequidquam alternis ſic ictibus aer
Huc aditum quaerens atque huc, quo ſive ſubire
Victor, inaequali ſeu niſu inſiſtere poſſit,
Circum errat, pulſatque errans innoxius orbes,
Nec tamen expugnare valet. nuſquam via certa,
Qua ſubeat; nulla aequato pars aſpera dorſo,
Quam magis impellens ſocia compage reſolvat.
Ergo globus quamquam vacuus, penetrabilis ictu
Non tamen aerio eſt. nam ſe nectuntque premuntque
Mutua particulae atque haerent ſimul arctius, aequum
Curvata quo mole magis glomerantur in orbem.
Idcirco longiſque cavus ſinuatur in arcum
Porticibus curvum fornix; ponteſque minaci
Impoſiti fluvio juncta teſtudine flexum
Quo melius referunt orbem, ſuper addita forti
Hoc ſtabiles melius quaevis ingentia tergo
Suſtineant onera, & nullo incumbente fatiſcant
Impete dejecti. crebris adſultibus urgens
Subter aqua oppoſitas moles evincere tentet,
Spumeaque albeſcat; valido ſuper ungula cornu
Pulſa ſonet, magnoque gemant ſub pondere plauſtra,
Volvanturque ruantque; immoti mole ſua ſtant.

Forſitan & quaeras; quot ſint, aut parte carinae
Qua vacui jungendi orbes? ſeu quattuor adde,

Sive

Sive etiam plures, si plures exigat usus;
Aut malo, aut potius navis latera ardua supra
Hinc atque inde pari sese inter limite longe
Semotos, ne qua possint se tangere parte,
Inque vicem crebris & laedi & laedere plagis,
Dum vacuos fert aura, & motu concitat acri.
Seorsim quisque natet; nec primo impendeat alter
Altior; elati hinc aeque tollantur & illinc
Aera per liquidum. melius libratur & ipsa
Tum ratis, & paribus nat pendula viribus acta,
Nec metuit ventos, nec iniquos aetheris aestus.
Illud in his rebus tibi restat difficile unum
Atque novum, tanta nimirum effingere curvos
Mole globos, non tantum ipsi, verum addita navis
Vectorumque manus mercesque ut pondere cedant
Aeris exclusae spatia extra concava massae.
Scilicet immani turgescant mole necesse est,
Immensamque trahant alvum, laterumque cavatas
Compages; ingens late se machina tendet.
Tu ne cede tamen: semper timor ardua fingit,
Quae nova sunt, nullique prius tentata: sed acer
Cuncta labor vincit. praeter sua litora nautae
Nondum alias nossent oras, nec caerula dorso
Velivolas ferrent classes; nisi primus Iason (s)
Auda-

(s) Jason heic poetice dicitur primus navigasse; quum

Audaci spernens animo syrtesque minasque
Horrificas ponti validis implenda dedisset
Vela notis. duce quo patuere illa invia nerei
Claustraque & insidiae, quae tot per saecula gentes
Terruerant falsa pavidas formidine mortis.
Ille alta in puppi velatus tempora lauro
Hortatur socios argivae robora pubis,
Accenditque animos: illi urgent aequora remis,
Attonitae spumant undae. volat acta carina
Phasidos ad fines, ubi dives ab arbore pendet
Vellus, & auratis perstringit lumina villis.
Jam male defensum, vigili custode perempto.
Ite animae illustres, factis extendite seros
Nomen in aetatum cursus. jam culmina nota
Vanescunt, patrio & matres in litore flentes;
Invalidique senes. vobis en ipse tridenti
Pandit iter Neptunus: eum comitantur ovantes
Nereides, Beroe, Galateaque, & aurea Xantho,
Nesaeeque & Phillodoce, delphinibus omnes
Invectae, sparsis omnes per colla capillis;
Cymmodoceque, Thetisque soror jam saucia flamma,
Pelea jam tota suspirans anxia mente. (t)

quum nihil ejusdem expeditione apud poetas celebratius sit. Ceterum cui sit primo navigatio tribuenda, *certant* sapientes, *& adhuc sub judice lis est*.

(t) Fuit enim etiam Peleus in argonautica expeditione

Ite agite heroes: vestigia vestra sequutae,
Exemplisque actae felicibus aequora classes
Contexere; cavis fervent maria omnia late
Navigiis. quisnam ille autem (u) fidentior, altum
Oceanum qui spectat, & indignatur Iberos
Spem trahere, ac regna alterius contemnere mundi
Trans anni solisque vias, & sidera nota?
Magnanimum nosco Ligurem; virtutis alumnum
Nosco italae. viridi date serta recentia lauro,
Ausoniae nymphae; calathis date candida plenis
Lilia: semper honos, semper stet fama sepulti,
Oceani dum fluctus erit, dum semita ad oras
Pervia, phoebus ubi solvit temone jugales.
O quas ille vices, & quanta pericula passus,
Litore ab hispano dum solveret! aspera rerum
Quae tulit, & quantas pelagi caelique procellas
Primus ad ignotas intendens carbasa terras!

Non

---

tione: vide Orph., Apollonium Rhod., Catullum in aureo carmine: *Peliaco quondam prognatae vertice sylvae &c.*

(u) Post argonautas non immerito heic mentio fit de Christophoro Columbo, cujus in Americam navigationem aetates omnes suspicient atque admirabuntur. Velim autem animadvertas, quod hoc in loco tacite videtur auctor cum Fontanellio innuere, quamvis non audeat palam proferre invidiam pertimescens: nimirum non videri omnino fieri non posse, ut quemadmodum

Ame-

Non certe Alcides odiis agitatus iniquae
Junonis; non ipse vafer se praeferat illi
Laerta satus, incensae post diruta Troiae
Pergama tam multos quamvis expleverit annos
Omnibus & terris & late fluctibus actus.
Virtus multa viri vicit tamen omnia, & oras
Vectus ad optatas, ubi nos quum phoebus anhelis
Adflat equis, vesper nocturnos excitat ignes,
Atque alia effulget stellis maioribus arctos,
Djs pelagi, aurifero religata in litore puppi,
Dona tulit voti compos, Cubaque potitus, (x)
Gentibus attonitis monstro atque ingentibus ausis.
Quin & jam menso oceano, rursusque remenso,
Victor ad hispanos remeans cum classe penates
Ante invisa refert peregrino munera ab orbe,
Inventasque ostentat opes, cultusque locorum
Edocet, atque auro dites atque ubere glebas.

Americani de oceani navigatione perverse sentiebant ante adventum Hispanorum, sic fortasse Europaei de navigatione aeria non omnino recte opinentur ac iudicent. Vulgatum illud Lucretii lib. V. .... *unumquidquid paullatim protrahit aetas*

In medium, ratioque in luminis eruit oras &c.

(x) Hanc in insulam juxta plerosque historicos primum descendit Columbus, eaque etiamnum paret hispanis; estque accommodatissima hispanorum classibus ad importandas, exportandasque merces ex America.

Hinc subito Europen late vulgata per omnem
Fama volat, veterem quarta crevisse reperta
Parte orbem, oceano edomito, trans ultima caeli
Sidera. felices illic felicia gentes
Regna tenere, aurum rivis fluere, atque adamantas,
Gemmarumque alias nullo custode jacere
Per juga per saltus & sylvas; unde superne
Balsama odorato manant sudantia ligno.
Ergo omnes ardor stimulat nova quaerere regna
Auspiciis actos tantis: timor omnis, & illa
Formidata leves jam monstra abiere per auras,
Falsa velut tacitae fugiunt insomnia noctis.

Et dubites parere meis horatibus ipse
Lentus adhuc? gelidusne tibi praecordia circum
Sanguis hebet, tantumne times convicia vulgi
Ignari? tentanda via est, qua te quoque in altum
Tollere, & immensum possis volitare per orbem.
Jam domita oceani rabies: nunc aura domanda est
Aeris; hinc laudem speres, hinc praemia, si te
Major tangit honos, major si gloria famae.
Nec superi votis aberunt a grandibus: ille (y)
Tau-

(y) Non desunt Mythologi, qui existiment Taurum & Arietem fuisse naves quarum altera Phryxus ad Colchos, altera vero Europa ex Phoenicia in Cretam vehebatur: idem de Pegaso Bellerophontis, de Persei Ba-

Taurus ut Europes, ut Phryxi candidus albis
Ille Aries villis, utque ales Pegasus; Argo
Testis & ipsa, maris quae prima innare per undas
Ausa procellosi puro micat aurea caelo
Sidereo in coetu, furvas & discutit umbras.
Cui tua stellifera quondam comes addita sede
Per noctem late flammantia lumina fundet
Navis, & ardebit nautis felicius omen,
Tyndaridum quam signa, heliceque, aut parrhasis ursa;
Ipsa per ignotas postquam te vexerit oras
Victorem, & fama ingentem compleverit orbem.
Adspice qua gelidam mundus consurgit ad arcton
Arduus, & contra vergit qua pronus in austros;
Illic humanos regio frustrata labores
Hactenus ignoto jacet avia litore, & illa
Fors quoque & uberibus campis populisque superba
Atque opibus, (y) sed navigiis nondum hospita curvis.

 Quip-

Balaena, & Triptolemi Dracone sentiunt. Vide Joann. Potter. Archaeol. Graecae lib. III. cap. XIV. ubi etiam praeter alia testimonia locum Aristophanis affert *ex Thesmoph.* in quo Perseus ad Gorgonas nave vectus manifeste dicitur.....

Περσευς προς Αργος ναυςολων, το Γοργονος
Παρακομιζων &c.

(y) Multi saepe cum Britanni, tum Batavi praesertim extremas Sinarum oras praetergressi, experti sunt, sed

Quippe gelu assiduo torpet maris unda revincta,
Et patulas vetat ire rates. tibi mobilis aer
Pandet iter glaciemque super, super horrida canae
Strata nivis; caelo venies ceu missus ab alto.
Qualis quum rhodopen mavors, aut trhacia curru
Arva petit, volucrumque sedens moderatur habenas
Alipedum; volat aetherios vi fervidus axis
Per campos, jam jamque venit, temploque propinquat:
Desilit; arma humeris sonuere: at pectora trhacum
Diriguere metu, & sanctum sibi numen adorant.

---

sed incassum, in Europam per Septemtrionis latus redire, atque ita novum iter navibus in Indiam aperire. Immensa glacies in eo mari praeter alia incommoda impedimento fuit, quominus voto potiti sint.

FINIS LIBRI PRIMI.



N A-

NAVIS AERIA.

Liber Secundus.



ED me jam Zephyri nemora inter garrula blando
Murmure ludentes invitant ire per altum
Aera. jam nautae funem convellere gaudent,
Insuetamque viam tentare; idem omnibus ardor,
Cura eadem stimulis omnes non mollibus urget
In superas tolli nubes, & linquere terras
Evectos volucri cymba. ruit excita pubes
Undique visendi studio, fruiturque tuendo
Admirata ratemque simul, simul ipsa globorum
Texta rati conjuncta; moras atque increpat omnes
Impatiens. ergo tempus petere alta volatu
Sidera: vos musae mecum conscendite; tuque
Uranie ante alias, cui parent ardua caeli
Templa & caerulei tractus, tu dirige cursus
Aerium per iter: sine te nec tollere puppim,
Nec rursum terras ausim deducere ad imas:
Tu me diva mone, atque omnes dic ordine leges,
Dic varias artes, ignotaque pande reperta,
Dum nostri tibi dona parant solemnia nautae,
Ut Nereo & Panopeae & Tethyi Neptunine.

Si pluvii de parte noti, si fulminat austri
Cum fremitu domus atra; oculis aut nubila caelum
Eripiunt imbri foeta & resonantibus euris;
Non patriis quisquam tum te discedere terris,
Aera nec moneat paullatim educere clausum
Jam tibi monstrata curvis ex orbibus arte.
Horrida nam caelo tempestas saevit, & omnis
Aestuat aura super ventorum turbine magno
Sedibus ex imis agitata. abjére volucres
Frondiferas pavidae in sedes, penitusque latebras
Certatim subeunt jam toto ex aethere pulsae.
Interea magno crepitans ruit impete grando,
Pulsataeque fremunt sylvae, fertur que tumenti
Per segetes pelago torrens, atque omnia late,
Qua se cumque tulit, violento gurgite vastat.
Heu male tum vacuo tenues defendere possis
Aere globos, volucremque ratem: tam magnus ab alto
Concretae cadit imber aquae, subjectaque frangit.
Vere tibi melius classes immittere caelo;
Vere viget sudi genitabilis aura favonj,
Caeruleoque nitet placatum lumine caelum,
Quum ferus averso fugiens canis occidit astro (*a*),
Taurus & aurato cornu micat. at mala nautis

Fri-

(*a*) Virgilius etiam *lib.* 1. *Georg.* per eadem ferme haec signa ver describit, quamvis id fortasse recentioribus Astronomis non omnino probetur.

Frigora & hiberno minitantia tempore ſigna:
Tum vario motu caeli domus excita fervet,
Luctanturque inter ſe vaſto turbine venti.

Ergo ubi poſt hyemem ſylvas aquilone moveri;
Ac nitido adſpicies phoebum ſplendeſcere curru,
Nec jam aderunt atrae, pulſa caligine, nubes;
Tu ſocios hortare, novaſque induſtrius artes
Adgredere, & liquidum ſiphonibus aera motis
E patulis expelle globis. expulſus abibit
Scilicet ille, viae facilis qua ductus apertae
Exſtrorſum eſt: verum quum ſedibus exiit imis;
Oſtia claude vigil multa vi protinus, idemque
Omnem aditum explora, ne qua citus irruat hoſtis.
Jamque graves minus atque minus, ſenſimque levatos
Circumfuſa globos alte ſuſtollit, & imo
Evehit aura ſolo. vento vos pandite nautae
Carbaſa; jam pariter ſublata nat aere puppis
Aemula pennigeris avibus. ſtupet inſcia turba,
Attollenſque oculos tacite miratur, & ipſa
Quae videt, haud credit novitatis imagine tanta
Perculſa. at dryades paſſim ſociaeque napeae,
Quae nemora & ſaltus late quaeque ardua montis
Saxa colunt, trepidae diſcurrunt omnibus agris,
Incertaeque animi pendent, an numina caeli
Eſſe putent, mira an pendentia nubila forma.
Atque aliqua aut Phoebum metuens ipſumve ruentem

Alta in nube Jovem, gressu subit invia saxa
Pernici, penitusque cavo sese abdit in antro.
Quid fugitis? volat acta abies tollentibus auris
Innocua, & terris longe magis usque relictis
Nubiferas sublimis adit, templa edita, sedes:
Quoque magis petit alta, homines, urbesque videntur
Effugere, atque ipsi pariter decrescere colles.

Non tamen & libeat nimium conscendere in altum,
Summaque veloci superare cacumina nisu
Atlantis rhodopesque aut alti culmen olympi,
Sidereo vincit nubes qui vertice. tenvis
Aura ibi, nec generi nostro spirabilis aer
Possidet a terris longe loca, celsior ille
Scilicet ex ima quo terra adsurgit in astra,
Rarescit magis, & similis fluit altus inani.
Tu medium lege tutus iter, mediamque teneto
Usque viam; placida triviae sine regnet in aula
Endymion, (*b*) populosque externo tutus ab hoste
Pace

(*b*) Lucianus, λογῳ ᾱ. αληθ. ιστορ., ita de rege in Lunari orbe, quo suam navim adpulisse fingit, κ' ὁ αρξαμενος, ait, το καθ' εαυτον, ημιν διεξηει, ως κ αυτος ανθρωπος ων, τουνομα Ενδυμιον, απο της ημετερας γης &c., ibique, ut solet, lepidissime Planeticolarum pugnas describit. Quibus non abs re Hippolytum atque Adonidem adjicere visum est; quod suas Venus in Euripidaeo Hippolyto Στεφανηφορῳ inimicitias cum eodem satis aperte declarat; & Diana, quae eadem est ac Luna, suas cum Ado-

Pace regat, longam neque rumpat cura quietem.
Quamquam etiam perhibent saevae post crimina Phoedrae
Hippolytum superas Lunae latonidis oras
Adscendisse: illum fortes in praelia turmas
Ducere, si quando armorum furor instat, & acer
Idaliae e regno Veneris movet agmina Adonis.
Hos pugnare juvet; mihi tu demissior ito,
Nec regna astrorum cures palantia nosse.
Proderit idcirco solventi vela, saburram
Tollere, si navis fuerit sine merce, neque ullo
Pondere pressa. hoc (*c*) effusos munimen ad Euros;
Hoc ubi subducta vectari coeperis aura,

Ne

Adonide; quem etiam interfecturum minitatur. Id enim contra Euripidis Scholiasten Stiblinus & Barnesius cum Apollodoro ac Petro Victorio ex his ejusdem tragoediae versibus erui contendunt: Εγω γαρ, inquit Diana prope finem, αυτης (nempe Veneris) αλλον εξ εμης χερος,

Ος αν μαλιςα φιλτατος κυροι βροτων

Τοξοις αφυκτοις τοισδε τιμωρησομαι &c.

De immodico vero Endymionis somno audiendus praeter alios Theocr. *in Idyll.* γ'. prope finem. Ζαλωτος μεν εμιν ὁ τον ατροπον υπνον ἰαυων Ενδυμιον, ζαλω δε &c., quae olim ipse auctor, quum hoc Idyllium latine verteret, sic extulerat liberius .... *& Endymion felix, cui condita nocte Lumina sunt molli semper, fruiturque sopore; Miror & Jasiona* &c.

(*c*) Similis loquutio habetur apud Virgilium lib. 2. Georg. vers. 352. & sequ.

Ne rapido nimium ſupera ad convexa volatu
Abripiare citus; placido ſed vectus in altum
Ceu Zephyro ſenſim magis & magis uſque ferare.
Nec ſum animi dubius, mirum tibi poſſe videri,
Iſta minus fluido quum ſit gravis aere puppis,
Cur pariter ſummas aurae volitantis ad oras
Supremumque locum trans ſubdita nubila vecta
Non eat; atque illuc librata evadere certet,
Ipſam nullus ubi jam deſuper urgeat aer?
Sic etiam aequoreis leviores fluctibus ipſae
Caeruleae naves ſumma librantur in unda;
Per medios nec ſubter eunt, loca pervia tantum
Squamigeris gregibus, latices; niſi forte coorta
Ventorum ac pelagi rabies infracta carinae
Disjiciat latera, ac torto voret aequore vortex.
Quamquam tunc imo ſubſidunt omnia fundo,
Nec medio pendent ſuſpenſa in gurgite, ſalſis
Quae ſunt cumque undis graviora: ita nempe vel alte
Cuncta natant, vel cuncta jacent demerſa profundo.
Haec tamen ut certis valeas deprendere falſa
Indiciis, certaque animi ratione reſolvas,
Contemplator, aquas quum caelo affuſa minantur
Nubila, & in tenebris phoebi latet abditus ignis:
Nunquam alte regionem omnes tolluntur ad unam
Imbriferae nubes; ſed pars petit edita longe,
Pars autem magis ima tenet, propioraque terris
Aerio

Aerio ſpatia in campo. nec ſecius omnes
Altior haec, humilis magis illa, in tramite caeli
Suſpenſae medio fluitant; inſiſtere ſummo
Nec ſpatio certant, neque item, licet altior aer
Imineat, lapſae terras volvuntur ad imas.
Nonne etiam ſuperas quo caeli fugit in oras
Alta magis, terris ſecretaque, purior aura
Hoc fluit, ac minimum terrenae obnoxia faeci
Sidereis longe in campis? ibi nubila nunquam,
Nunquam imbres, nunquam denſantur turbine nimbi;
Aurea ſed ridet ſpecies, & pulcricomus ſol
Indiſtincta ſuae diffundit ſpicula lucis.
Semper enim tenuatur; odor ceu diſſitus halat
Ille minus, quo ſe in ſuperas magis extulit oras,
Vel cilici quum ſcaena croco perfuſa renidet,
Arave quum thuris panchaeos efflat odores.
Denſior hinc etiam primae regionis in altum
Multa efferre queat, rarus quae deprimat aer
Alterius; quaeque hic poſſit ſuſpenſa tumenti
Ferre ſuper dorſo, neget alter rarior, illum
Ordine qui ſequitur. vario pro pondere navis
Proin tua ſe varia ſiſtet regione, nec ultra
Quaeret iter librata ſemel, ſpatiumque feretur
Per levius ſeſe & gravius, media inter utrumque.
At maris effuſi denſum quod corpus ubique
Eſt aeque, haud gravior fundo pars altera ſedit,

Altera

Altera pars unda in summa subtilior ; ipsa
Fit quoque uti cymbae curvatae pinea texta
Summa petant pelagi, summoque in gurgite tantum
Se librent, sistantve vadis demersa sub imis.

Praeterea, magnam lymphis ingentibus urbem
Qua Tamesis lambit, multi voluere per artem (*d*)
Institui sic posse rates, ut subter aquarum
Per liquidos mediae fluctus, infraque supraque
Circumfusae undis narent; ceu grandia Protei
Armenta, atque alia immensi vaga monstra profundi.
Nec vero pugnax ausim contendere contra,
Ut solet ignarum vulgi genus, omnia falsa
Qui credit, quaecumque sibi miranda videntur
Arduaque: ante animo multarum foedera rerum
Vestiganda acri; tum quid vel possit oriri
Vel nequeat, dicendum. aliter de tramite recto
Judicii abripiet praeceps te saepius error.

Nam

(*d*) In hac opinione Mersennus est. Varias autem navium species habes apud Thomam Garzonium ; quarum celeberrimae sunt illae tres a Guilelmo Schrotero inventae, & a Scoto nostro in sua Mechanica descriptae. Celebratissima & illa Roterodamensis est navis, huic similis etiam Antuerpiensis, cujus Famianus Strada *lib. II. dec. II. de bello belgico*, mentionem fecit. Omnibus vero praestantior hoc in genere illa fuit, quae inspectante Henrico VIII. tamesim subiit, inque sui admirationem oculos omnium, qui aderant, convertit.

Nam quid obest, fieri tanto ne pondere cymba
Possit, uti quantum subjectis tollitur, illis
Quae super incumbunt, tantum mergatur ab undis?
Tunc non illa quidem fundum descendet ad imum
Suppositis instans lymphis, non gurgitis alti
Summa petet, laticis supera depressa liquentis
Parte alia; sese certa sed sistet aquarum
Sub regione, aequis hinc atque hinc viribus acta,
Ac pariter suspensa. velut, diversa quadrigae
Quum geminae in spatia addunt se & discedere tentant,
Si modo se nexu teneant ac viribus aequis
Alipedes hinc inde trahant; immobilis haeret
Utraque, libraturque: haud hanc haud tendit in illam
Ulla plagam, torto licet acer desuper instet
Fuste sonans auriga, omnesque effundat habenas.
Magna hinc utilitas, magnum navalibus esset
Auxilium pugnis: & quantum bella juvarent
Aeriae classes; medias tantum ipsa per undas
Navigia haud viso venientia tramite, & armis
Improvisa imi de sede furentia Nerei. (artem
Atque equidem haud dubitem, quin haec quoque dira per
Damnaque & immanes ad mutua funera clades,
Tantus amor caedis! mortalia pectora tentent.
Ne vero, ne talem animis adsuescite pugnam,
Spicula neu properae nimium nova quaerite morti;
Mille patent lethi caussae! satis in mala nostra

Ver-

Vertimus ingenium: rigidos conflavimus aera
In gladios hastasque & acuta cuspide tela;
Unde unci melius vomis formatur aratri,
Plaustraque eleusinae matris, cerealia dona.
Ignem etiam vafri subductum fraude Promethei
Innumeros vitae munus mortalis ad usus
Perdimus in caedes. cujus vi plumbea grando
Terrifico jaculata sono late agmina sternit,
Sternit equos; altas & fundo diruit arces,
Quin homines contra quin ars obsistere possit.
Vita fuit certe potior, quum sanguine nondum
Immaduit nostro tellus, non fluminis alvei
Purpureis rubuere undis; nec noverat ullus
Arma, nisi inverso cererem queis conderet arvo,
Fissile vel robur vel celsam exscinderet ulmum,
Vitigenam aut premeret frondem. nunc vividus artes
Extudit innumeras usus; sed & omnia regna
Vipereis crines Alecto impexa colubris,
Non mare non linquens terras, hostilia ad arma
Exciit, ac magno furiarum involvit in aestu
Bella necemque ferens & tristia semina cladis.
Quod superest, media quum jam volitabis in aura,
Omnia queis regitur pelagi per caerula cursus,
Illa tibi tractanda: secus neque tutus in alto
Nare, neque optatam poteris contingere metam.
Omnis in albenti primum descripta papyro

Tel-

Telluris vastae facies & mensa locorum
Intervalla viis cunctorum cognita debent
Esse tibi: campique urbesque atque edita caelo
Culmina, & aequorei tractus circumfluus humor
Qua pateat, qua se freta per diversa profundat.
Sidera tum late magnum per inane notanda,
Quid pluviaeque ferant hyades, quid plejas, & haedi
Nascentis sidus; vel quid minitetur Orion
Turbidus, aut heros stricto Danaeïus ense.
Orbem etiam triviaeque juvat servare, cadentis
Et phoebi; martemque venus quo lumine cernat,
Saturnusque jovem, cyllenius ignis utrumque.
Non quod celsa sua quidquam vi sidera posse
Ipse rear tanto a nobis distantia tractu,
Hoc moneo; verum & labentia tempora noctis,
Et varios caeli signant quod fulgida mores,
Seu purum referant, fuscum sive ore colorem.

Ante tamen tristesque hyadas & oriona & haedos,
Mundus ubi ad scythiam adsurgit, spatioque coercet
Inrequieta brevi volventia lumina, & alto
Non sinit oceano condi; sub cardine summo
Usque nitens ursae (e) sidus glaciale minoris

(e) Graeci quondam, aliaeque gentes ad majorem Ursam vel Helicen, quam primus observavit Nauplius,

Noscere te jubeo, caudae quod parte sub ima
Emicat, ac dubias vasto regit aequore naves.
Illa tibi monstret cursus, illam aspice semper
Axe sub algenti rutilam: stat proximus illi,
Arcas & ipse olim, stellato corpore fulgens
Arctophylax. nautis non ipse irascitur ardens,
Sed vigil observat, ne qua se Parrhasis axe
Auferat, aut vetita nerei se proluat unda.

Quin & quum caelum nebulae obsedere, nec ulla
Nimbiferam per noctem aegris mortalibus ardent
Lumina, hyperborei sedem magnesia signi
Prodet acus, certoque ostendet pendula nutu,
Qua gelidus sit parte polus. non vertit ad afros,
Non ea ad hesperias aciem vel memnonis oras

Li-

---

si Theoni credere fas est; vel, juxta Flaccum, *Argonaut. lib.* 1., Tiphys ille celebratissimus Nauclerus, cursum instituebant: unde Aratus inquit,

..... ελικη γε μεν ανδρες αχαιοι
Ειν αλι τεκμαιρονται, ινα χρῆ νηας αγινειν &c.

At Phoenices iter dirigebant ad minorem Ursam (testibus Eustathio *Iliad.* α'. Et Arriano *Exped. lib.* VI.) quam dispexit primus juxta nonnullos Thales Milesius origine phoenix; apud Hyginum *lib. II. Poet. Astron.* Eustathium *Iliad.* δ. & Theonem *in Aratum*. Phoenicios nunc Europaei omnes imitantur. Vide Potter. *in Archaeol. lib. III.*

Libera; at optato septem subjecta (*f*) trioni
Litora, riphaeoque horrentes frigore terras
Usque petit. tum si placidam deflectere cogas
Sedibus arctois, furit ipsa irata, diuque
In gyrum videas tremulam se volvere: nulla
Vel mora vel requies usquam, nisi rursus ad arcton
Vergat; ibi inventa jam tandem in pace quiescit
Occasum hinc fugiens, illinc tithonia regna,
Tergaque nimbiferos vertens contraria ad austros.
Hujus ope haud unquam, tellus procul avia quamvis
Fugerit ex oculis, stygioque excita lacu nox
Tartareis caelumque diemque obduxerit umbris,
Errabis recto excedens de tramite callis:
Tantus in arcadicam rapit urgens impetus ursam!
Non tyriis olim haec nautis non cognita grajis
Res fuerat; solum ferri spectandus amore
Ante fuit magnes, durum quum saepe viderent
Appositi propius ferri vincire rigorem,

(*f*) Id quidem non est intelligendum sine declinatione diversa in diversis terrae locis; quamobrem & tabulae, uti vocant, declinationum constructae sunt. Imo si ad ingentes ferri fodinas aliquando deveniatur, non polum, sed illas magneticam acum respicere certum est; nullusque fere ipsius tunc habetur usus. Si vero in ipsis polis iisque solis massae ferreae haberentur, ad ipsos tantum polos sine ulla ferme declinatione magneticae acus dirigerentur.

Ad sua & invisis trahere oscula viribus aera.
Aequoreos illum primus traduxit ad usus
Ausoniae (*g*) cultor, quo nunc se jactat alumno
Parthenope, & stimulos contra jaculataque tela
Invidiae multa famam cum laude tuetur.
Quaeque etenim voluit, magnis contingere semper
Ut solet in rebus, tantae decerpere laudis
Praemia gens, tantique sibi decus addere facti.
Cujus ut inventum patuit, prius invia stagna
Oceani longe effusi petiere carinae,
Nec timuit vix audito se credere ponto
Navita: ad eoi maris hinc felicia regna,
Occidui hinc alias orbis conquirere partes,
Ignotos & itum terrarum extendere fines.
    Disce & signifero phoebi (*h*) cognoscere ab orbe

Quam

(*g*) Primos se fuisse magneticae hujusmodi proprietatis inventores mortales multi gloriantur; nec desunt, qui jam Sinis notam fuisse multo ante, quam fuerit Europaeis, arbitrentur. Vide *Lexicon Chambers.* ut alios mittam Scriptores, constabitque Flavio Giojae Neapolitano, qui saeculo XIII. vixit, potiori quidem jure, quam aliis, hanc esse laudem tribuendam.

(*h*) Methodus determinandae *latitudinis geographicae* est admodum facilis & expedita vel ipsis navigantibus. Minor autem Ursa, & potissimum ea ipsius stella, quae, quod in ejus cauda sita est, adpellatur

Kuvo-

Quam distes; austri quantum hinc in regna, vel illinc
In boream vergas. altus certissima titan
Signa dabit, quodcumque tuo seu vertice supra
Sidus inardescens, sive ipsa Lycaone nata.

At non sic facile speres deprendere (*i*) quantum
A mediae recta distans regione diei
Solis ad occasum tendas vel solis ad ortus,
Quamvis & phoeben umbra telluris amictam,
Nigrantesque jovis comites, ipsumque nigrantem
Saepius adspicias solem. longae omnia curae,
Omnia adhuc magni nec certi plena laboris.
Non tamen & dubiis vanos conatibus usque
Hic labor exercens animos eludet in aestu
Vel medio pelagi, rapida vel in aetheris aura,
Si melius pateat, quam phoebe argentea distet
Sideribus longe a fixis & solis ab orbe.
Hoc quoque vos nautae sperate, hac nautica laude
Ars etiam sese jactabit; & omnia vincet

Κυνοσυρα, polo proxima atque idcirco minimo acta motu & nunquam occidens, aptissima est ad dessignandos cardines finitoris seu horizontis.

(*i*) Longitudinis geogr. determinandae ratio adhuc est difficilis illa quidem nec satis accurata; quamvis Sellae cujusdam ope, quam Irvvinus in Anglia excogitavit perfecitque, in ipsa maris fluctuatione jam & majora tele-

Ingenii vis illa, viget qua Gallia solers,
Aut metuenda mari vicina Britannia; cui non
Audeat aequoreis quisquam contendere in undis,
Sive opus iratos nerei contemnere fluctus,
Seu. varias artes nautarum extundere in usum.
Quid te jam cunctos moneam praediscere ventos;
Qnid tempestates caeli, variique tumultum
Aeris, ac motus omnes? quid signa docebo,
Quae procul adspiciens metuas discedere terris,
Aut properes petere ima redux, portuque subire?
Ultimus haud etiam fuerit labor, edita malo
Carbasa nosse manu tractare; & nunc dare ventis
Laxa magis, nunc illa minus, modo tollere in altum;
Et modo dejicere, aut partes obvertere in omnes,
Quo ventus cursusque vocet. non utilis ulla,
Jactatis aut ars magis opportuna carinis.

Forsitan heic quaeras, zephyri si flamina cessent
Aeoliis inclusa antris, num insurgere remis

Ob-

---

telescopia, & Dollondianum micrometrum, aliaque hujus generis instrumenta non sine fructu ac magna utilitate facile possint adhiberi. Consule *adnotationem 78. & sequ. ad lib. II.* doctissimi sane poematis Boscovichiani *De Solis ac Lunae defectibus*. Vulgatum etiam recentissime ferunt in Britannia jussu illius regiae Societatis ab Harissonio novum quoddam *longitudinum horologium*.

Obſtanteſqe auras poſſis impellere ? fluctus
Céu maris impellunt nautae, ſi quando morantes
Vela negant implere auſtri, non aeolus audit
Vota, preceſque; jacent poſito freta muta tumore,
Atque hilares ludunt ſumma delphines in unda.
Quamvis aura minus remis pellentibus obſtat,
Caerula quam nerei; tamen ictibus illa reſiſtit,
Illa etiam perculſa ferit, propulſaque pellit.
Indicio eſt avium ſublimis in axe volatus
Aetherio. haud etenim liquidas ſe ferre per oras
Remigio alarum poſſent, velut aequore pinnis
In medio piſces, niſi mota reſiſteret aura,
Pulſaque in oppoſitas pellentia corpora partes
Truderet, acceptoque aequalem redderet aequa
Vi motum. ſubito quo impulſu in corpore utroque
Mobilitas oritur geminas contraria in oras:
Hac aer, illac fugiens volat incitus ales,
Alter & alterius vires minuitque fovetque.
Sed quoniam pelago leviorque & rarior aura
Alta fluit, remorum idcirco palmula, fluctus
Quae ſecat aerios, ſolitis tibi latior ima
Parte ſui pateat, multumque agat aera pulſu.
Nonne etiam volucrum ſe multo latius (*k*) alae

 Cor-

(*k*) De hac re legendus inprimis doctiſſ. Borellius *in Sta-*

Corporis extendunt varia pro mole, natantum
Omnigenum quam pinnae? haud hoc natura sagaci
Imperii nutu nequidquam provida cavit,
Quum prima lucem nascentis origine mundi
Hauserunt mutique greges pictaeque volantes:
Omnibus illa dedit, quorum quisque indiget usu,
Seu mare seu terras celebrat sive aethera purum.
Adde quod anterior minus obstat mobilis aer,
Quam pelagus proris rostrisque tridentibus: ergo
Quamvis ipse magis tenuis fluat, ille carinae
Non minor in caeli liquidis erit impetus oris.
Sic etiam verso propere temone vel illam
Vel partem hanc caeli cymba properante tenebis,
Avius & certo nunquam de tramite cedes.
Heic tamen & remos suadebo ipsumque polito
E corio, qua parte leves temo incitat auras,
Efficere: haud magnum sic addent pondus, & una
Aëraque accipient melius, meliusque repellent.

Quod, si quum medio nabis jam laetus olympo,
Saeviat extemplo nimbis ferventibus auster,
Involvatque diem tenebris; tunc arte magistra,
Tunc opus est animis; atrae formidine mortis,
Adversisque sinas vulgum pallescere rebus.

Nil

Statica, in qua sane egregie de avium disserit volatu, totaque corporis ac membrorum conformatione ad illum necessaria.

Nil usquam miseris tutum mortalibus esse
Jupiter ipse dedit. non vis, non ipse juventae
Largas inter opes securaeque otia mentis
Aut vigor, aut vernans florenti in pectore robur;
Magnorum non imperium, non aurea regum
Limina firma satis. miseros quid Gallia luctus,
Quidve tuas referam spes fractas; nuper acerbo
Funere quum regni columen (*l*) tibi, perdita, raptum
Ingemeres; tuque ipse tuo, quum Sequana fletu
Auctus, ab inspecta tumuli dum mole recentis
Extincti tibi crescit amor, violentior ires
Oceanum in magnum? quid jam Germania cogis
Me tua crudelis miserantem incommoda sortis
Nunc memorare? tuos infelix Austria casus,
Dic luctus dic ipsa tuos, quum moesta videres
Sub Lare Caesareo cumulari (*m*) funere funus,
Quin Juno, quin posset Hymen obsistere morbo.
Heu

(*l*) Intellige Serenifs. Delphinum Ludovici XV. Christianifs. Regis filium: cujus acerbissimam toti Galliae mortem paullo post ejusdem conjugis amantissimae mors item acerbissima consequuta est.

(*m*) Eodem fere tempore anno 1767. Imp. Caes. Aug. Josephi II. uxor augusta obiit Maria Josepha Bavarica, ac Maria item Josepha Archid. Austriae Ferdinandi IV. utriusque Siciliae Regis futura conjux, nisi improvisa omnibus atque acerba, quum de ipsa jam italica profectione cogitabatur, tot populorum vota mors extemplo intercepisset.

Heu pietas, heu sancta fides, & conscia laudis
Pectora! quas lacrymas, quos fletus funera tanta
Excivere? altae flerunt hinc Vindobonae arces,
Vindelicique una, Rhetique, Aenusque, Lycusque,
Danubiusque, & Danubio centum patre Nymphae:
Hinc Padus, hinc Athesis, pubes hinc itala flevit;
Et pater in primis viridi Sebethus ab antro
Inter mugitusque soli, piceamque favillam,
Atque ejecta jugo torrentia saxa Vesevo,
Crudelesque deos nequidquam dixit, & altum
Ingemuit. cui nereïdes, cui najades omnes
Crinibus errantes fusis per caerula colla
Responsant fletu; nec rubra corallia, & ulla
Dona parant, nec dulci iterant jam voce hymeneum,
Sed cava luctisonis complentes antra querelis
Funereas circum ponunt de more cupressus.
Ipsa Venus lacrymas visa est fudisse tepentes
Pausilipi sub rupe sedens, atque ipse Cupido
Irrita dona querens nervos evulsit ab arcu,
Extinxitque faces, atque aurea spicula fregit.
Nec (n) sat erat; caelo terras miseratus ab alto
Ni

(n) Maria nimirum Theresia Hung. ac Bohem. Regina semper Augusta tum temporis eodem, quo superiores Nurus, Filia, & Neptis, occubuerant, gravi *Variolarum* periculosoque morbo adflictabatur: verum singu-

Ni pater omnipotens saevire impune vetaret
Fortunam ulterius, servans te maxima nobis,
Austriadum te Diva potens ad publica servans
Commoda: qua lethi revocata limine ab ipso,
Sol iterum roseo nitidum caput extulit axe,
Territaque optatam viderunt saecula lucem.
Quo tamen a primo digressum hi carmine luctus
Abripuere? satin tibi dura atque aspera rerum,
Insidae & casus non posse avertere sortis
Visi homines? magnum constanti ferre laborem
Pectore, quicumque inciderit; nec cedere victum,
Dum vires, & cura valent obsistere contra,
Conandum est homini; tribuendaque cetera fato.
Ergo quum rauco misceri murmure caelum
Videris, & liquidos glomerari turbine campos,
Anteveni. remis velisque incumbere nautas,
Dum licet, ipse jube: terris advertere proram
Ne pudeat, quum saevit adhuc procul excita nimbis
Tempestas, longeque incoeptant praelia venti.
Jamque malum propius serpit propiusque citato
Impete se volvit: tum circum exaestuat aer
Correptus; resonant sylvaeque & concava saxa
Pul-

---

singulari Dei beneficio ac providentia factum est brevi, ut quantum boni omnes ex ejus morbo dolorem moeroremque ceperant, tantam etiam ex ejusdem recuperata valetudine laetitiam ac voluptatem susciperent.

Pulsataeque fremunt valles. tu praepete cursu
Interea loca tuta subis tellure potitus
Optata, portumque ingressus munera reddis
Junoni aeriae & tyndáreo Polluci (o):
Non tamen & fugisse malum, non usque licebit
Evasisse prius caelo, quam turbine venti
Aurarum in medio deprensam gurgite puppim
Corripiant. lege vela citus crepitantia, & altas
Antennas demitte, euri vis improba gliscens
Omnia ne frangat, ne vertat in aëre cymbam,
Illa suo pendens quamquam se pondere libret.
Heic etiam syrtes, heic scylla & saeva carybdis
Horrendam ostentant faciem; sunt & suà caelo
Monstraque & infames scopuli. cave proxima saxa;
Ac potius mediis aurarum agitatus in oris
Alta tene, litusque fuge insurgentibus austris.
Ne mihi tunc montis placeat latera aspera circum
Errare & cautes propter. vicinius urget
Dum spatium terrae; reperit sua funera saepe
Nauta, procellosi in syrtes vi turbinis actus,
Demersusve vadis, scopulove infixus acuto.
Tunc quoque profuerit, si fors non laeva resistant
Numi-

(o) Tyndaridas Castorem nimirum & Pollucem, atque ipsam etiam Helenam navigantibus suppetias ferre, passim legitur apud poetas.

Numina, demisso vel culmina summa rudente
Arripere aut nemorum ramos. jam dente tenaci
Anchora subjectis aut haesit cautibus, aut se
Arboreo implicuit trunco; jamque ipsa carina
Sistitur haud metuens minitantia saxa nec ullam
Ventorum rabiem. non hanc non turbine in illam
Abripitur partem: rapido modo fluctuat aestu.

Si vero, quoniam non ulla industria quondam
Profuit effugiumque dedit, dijecta resolvat
Texta ratis laterum laxis compagibus auster
Navifragus, solum rebus quod restat in arctis,
Tunc age. difractae si fors pars ulla carinae
Orbibus haeret adhuc integris, hanc cape dextra,
Hanc tanto in casu sociam citus arripe, tractus
Pondere ne proprio caeli labaris ab arce,
Neu facias moriens peregrinae nomina terrae.
Nimirum, haud ulla disruptis parte globorum
Parietibus, non ipse cades simul additus, aura
Sustentatus adhuc: quamvis discrimina multa,
Et varios cursus huc illuc actus inibis
Ventorum arbitrio; donec consistere detur
Monte aliquo, placidis ubi solvas munera divis,
Ceu quondam Aeolides Phaeacum (*p*) ejectus in oras
Post

(*p*) Homerus id egregie *Odyss.* ε. describit, omnibusque pingit artis poeticae coloribus.

Post siculi casus pelagi post tristia damna.
Hacteuus haec: superest artis pars ultima nostrae
Supremusque labor. jam sat per caerula caeli
Ivimus, ac tenues puppi sulcavimus auras.
Rursus amor carae subeat telluris, & illam
Quamquam humilis longe jaceat, ne spreveris altum
Classe tenens; illic superis pia munera nostro
Pro reditu sociique ferunt cognataque ad aras
Pectora: fors etiam suavi dum lumine vitae
Nos metuunt cassos, incestant fletibus ora.
Et iam tempus ubi reduci petere ima volatu,
Nubivagos fluidum paullatim rursus in orbes
Aera furtivo ductu revocabis. at ille
Insinuans sese penitusque ingressus ab alto
Incipiet caelo puppim gravitate potentem
Deprimere, atque humiles terrarum advertere ad oras.
Haud aliter nantes undosa per aequora pisces,
Haec eadem (q) tectum quem se intra ad munera servant,
Utriculum vacuantque auris, onerantque vicissim;
Illic ut subeat melius contractior undas,
Laxior heic summum contra extollatur in aequor.
Lubricus est aer, facilique in concava lapsu
Claustra subit, simul ac moti patet oris hiatus,
Qua

(q) Vide *Grammat Scient. Beniamini Martin.* ubi *cap.* 5. *part.* 4. differitur *de Zoographia* &c.

Qua veniat. verum si quando copia maior
Excipitur, prono ad terram cadit incita puppis
Pondere, praecipitique volans ut turbine fertur.
Ipse tibi subeat tantus, librata per auras
Sentiat inlapsum vix illum ut navis, & alte
Circumagens sese per curvos devia calles
Nubiferas sedes, lapsu fallente, relinquat.
Aspice quum celso conspexit ab aethere scyllam
Nisus atrox; non ille supra se corpore prono
Demittit, sed torva tuens atque actus in orbem
Hac illac cursus obliquo tramite carpit:
Tum propior magis atque magis, jamque aera gyro
Usque secans breviore, tenet, captamque cruentans
Antra petit, notae vel densa umbracula sylvae.
Sic melius liquida sese sustentat in aura,
Nec raptim celeri puppis redit incita casu,
At potius tardata diu. quod si aeris illa
Pondere plus justo depressa feretur ad imas
Praecipiti cursu sedes; tunc arte levanda
Rursus erit, graviorque cavis siphonibus aër
Rursum educendus. donec jam denique victor
Paullatim optata patriae potiaris arena.
Non etiam dubitem subter demittere vincla
Stupea: queis tractis, postquam cava fragmina rupis
Implicuere arcto nexu, descendere possim,
Aera quin tentem vacuos inducere in orbes.

Ma-

Magnus uterque labor, caeloque attollere navim,
Atque iterum reducem patriis adpellere terris.
Quid tamen ingentis nequeat spes vincere laudis,
Quosve neget casus superare? illa agmine martis
In medio, armorum qua densior ingruit horror,
Mortales pulcram per vulnera quaerere mortem
Impulit. illa etiam gentesque ignotaque adire
Nomina terrarum per multa pericula saevi
Oceani, rerumque pati dira omnia jussit
Esuriemque sitimque atram morbosque luemque.
Hac duce & ostriferi sensit (r) juga pontus Abydi
Et miratus Athos sua viscera pervia classi
Assyriae; humentesque cavis nereidas antris
Ludere, ubi nuper dryades duxere choreas
Cum thiaso satyrorum & monticolis sylvanis.
Quid Lernaea lues, quidve illa Erymanthia monstra,
Cen-

(r) Vulgatissimus est apud Scriptores tum graecos tum latinos pons ille a Xerse, quum in graeciam vellet exercitum traducere, in Hellesponto constructus. De Atho vero praeter alios Catullus in illa pulcherrima Callimachiana Elegia *de Com. Beren.* diserte ait:

Ille quoque eversus mons est, quem maximum in oris
Progenies phthiae clara supervehitur;
Quum Medi properare (seu potius *peperere*) *novum mare; quumque juventus*
Per medium classi barbara navit Athon &c.

quod vero ad Herculis pugnas heic pertinet, enarratione non indiget: est enim omnium sermone tritum.

Centauri aeripedesque boves & corpora strata
Geryonis, pressaque Atlas cervice levatus,
An non herculeae cesserunt omnia laudi
Edomita? audendum est, praesertim magna periclis
Laus ubi proposita, & duri seges ampla laboris
Succrescens cupidis sese mortalibus offert.
O quanta hinc veniet divinae gloria famae,
Quantus & usus erit! quamvis neque gnossia regna
In labyrintheis clausum te flexibus arcent
A patria; neque saeva times Minoïa jussa,
Rexeris artifici tutum quod Thesea filo.

Nam libeat martis seu forte ad praelia classes
Aerias armare; alio sive orbe vehendas
Ad merces, qua nec pateant maria alta, nec amnes;
At spatia immensae telluris & edita celsis
Saxa jugis, hae parva dabunt num commoda naves,
Exiguumque ferent usum? tu munere tanto
Haud tentata prius pandes commercia, & omnes
Inter se gentes sociali foedere junges,
Aeterna quamvis glacieque & frigore pressas,
A borea extremos tendit qua mundus in austros.
Quid quod & effugium duris in rebus habere
Proderit, aut patriam subitis incursibus hostis
Invasisse velit; crebris aut excita tellus
Motibus immanem minitetur aperta ruinam;
Aut etiam pelago exundent freta lata sonanti

Arva per & populo ferventia ſtrata viarum ?
Quid jam venatus referam, quid retia tractus
Jacta per aerios avibus? majora ſuperſunt
Munera: nam poteris propius diſquirere cauſſas
Aethera per liquidum caelique patentia templa,
Quid ciet eliſos abruptis nubibus ignes
Murmuraque, & ſtellas obſcura in nocte caducas;
Utque trahit varios iris formoſa colores,
Ingentique arcu caelum ſecat: humor & idem
Cur modo ſe in rorem matutinaſque pruinas,
Ac modo ſe mutat lapidoſae in grandinis imbrem,
Inque nives pluviamque; & qua vi denique venti
Naſcuntur caelo, & nubes coguntur in alto
Aere? jamque mihi, late qua maximus orbis (s)
Panditur, hac videor terras inviſere navi;
Atque brevi luſtrare die tot diſſita regna,
Quot nec Abantiades findens talaribus auras,
Ipſe neque edomitas Nyſae de vertice tygres
Victor agens Liber cum thyrſigeris Satyriſcis.
Quippe ſua tellus vel ſede immota quieſcat,

Vel

(s) Sic & Fontanellius in dialogo, de quo mentio ſuperius incidit lib. 1., elatum fingit ſe in aëre aequilibrari, atque illinc tellurem, dum circa axem illa ſuum diurno motu revolvitur, contemplari.

Vel celeri (*t*) ſeſe potius vertigine circum
Vertat ab occaſu naſcentem ſolis ad ortum,
Ac modo phoebeo partem hanc, modo detegat illam
Spectandam jubari; ſimul & circumfluus aer,
Qua trahet illa, via raptim volvetur eadem.
Ergo etiam adverſo qui finderet aera curſu
Ales, & aequali motu contrarius iret,
Nempe ipſe occaſum tantum, quantum aura ſub ortum,
Subter humum ſpectans variantis imagine ſcaenae
Continuo varia gauderet. quare age ſegnes
Tolle moras; vocat ecce eurus tua carbaſa ſurgens
Litore ab eoo, puppimque per ardua pellunt
Aerios contra fluctus cum Caſtore Pollux;
Ocyor ut nimbis & praepete fulminis igne
Ipſa citae oppoſitam vincat vim ſcilicet aurae
Tantum alia provecta plaga. fluit incitus aer
Inſequiturque ſimul raptus vaga moenia mundi:

(*t*) *Vel celeri ſeſe potius* . . . . quamvis enim fere idem haberetur effectus vel mota vel immota tellure; tamen placuit Copernicanam potius hoc loco hypotheſim adhibere; quum & poetica magis, & vero etiam jucundior neſcio quo pacto orbis terrarum deſcriptio ex eadem effloreſcat. Itaque poetae magis quam philoſophi heic auctor perſonam ſuſtinere ultro profitetur: quod etiam in hac eadem liberiori certe, quam accurata geographiae ratio poſtularet, locorum regionumque enumeratione licere ſibi arbitratus eſt.

Puppis & ipsa fluit, connixaque viribus aequis
Stat contra, spatioque immobilis haeret eodem.
At nova terrarum subter se pandit imago
Interea, ac rerum novus usque enascitur ordo,
Qua se cumque ferant oculi. viridantia sese
Nunc nemora ostentant longe, praeruptaque versis
Antra jugis, campique & formosissima tempe;
Nunc fluvii vitreique lacus substrataque ponti
Caerula, qua rapido ventorum agitata tumultu;
Qua placido leviter motu crispata superne.
Heic magnae incipiunt urbes se tollere caelo
Vertice turrigero; heic raris magalia tectis
Sparsa per & valles & dumis horrida saxa,
Effugiunt. saevus ciet hac mars praelia parte
Sanguineam quatiens hastam; spumantibus illa
Fluctibus in pelagi luctatur navita, & alte
Suspiciens placida frustra me spectat in aura.

Quae quibus anteferam spectanda? hinc Adria longe
Adsonat; hinc maior Tyrrhena immurmurat unda,
Pinifer & surgens pater Apenninus in auras
Centum urbes magnas, centum labentia subter
Flumina felicesque agros de vertice gaudet
Despicere. ex oculis sed jam fugit abdita nostris
Ausonia, & fugiunt alpes: jam Norica retro
Culmina rarescunt; vix & Germania saevum
Ad boream conversa, aliaque apparet ab ora

Dives

Dives in ingentes Hiſpania didita terras.
Hinc Galli, hinc Batavi, & Belgae, parvoque Britanni
Aeſtu diſcreti ſupra venientibus undis
Oceani jam jam condi mergique videntur.
Dumque loquor, fugere citi: late omnia pontus
Occupat, immenſaque amplectitur Amphitrite.
Ecce autem nova ſe tellus adtollere longe
Incipit extremam europen transque avia thules
Litora ab occaſu. ſalve o poſt tempore multo
Cognita terrarum pars maxima! nulla tibi auro,
Ubere nulla ſoli tibi ſe componere certet,
Omnigenum aut ſeclis animantum: at quo mihi tantum
Ipſa etiam properas? viden, hinc ut tendit in arcton,
Hinc auſtrum: pars hiſpano ditiſſima regno
Mittit opes; pars aequoreis non parva Britannis
Ceſſit, Gallorumque animos incendit, & acres
Subjecit nuper curarum in pectore morſus.
Pars alia advectas non uno nomine gentes
Novit; pars etiam propriis intacta tyrannis
Servit, & agreſtes veneratur barbara mores
Externas exoſa manus & non ſua jura.
Aurea Caſtellae haec regio, Peruanaque regna,
Illaque Amazonidum tellus; Argenteus (u) amnis

 Hac

(u) *Argenteus amnis*, fluvius nempe qui vulgo ab Hiſpanis dicitur *Rio de Plata*: vox autem *Plata* argen-
tum

Hac fluit, hac minio sedem posuere rubentes
Brasilidae, aut turpes nigrantia faecibus ora
Hirrochoi, Canadesque atque effera nomina gentes
Innumerae. quas nempe inter tu maxima cura
Palladis, Uranies & honos & fama Rogeri,
Si freta sustineas longe tot inhospita obire,
Incedet magno solis quum parva sub orbe,
Sideream (x) Venerem lato spectabis olympo.
O tibi

---

tum hispanis est. In aliorum nominum, quae heic occurrunt, inflexione, scito, poetam sequutum graecae latinaeque inflexionis rationem quamdam ac similitudinem; minimeque sollicitum fuisse in inquirenda diligentius aliorum scribendi ratione; quum id in rebus novis atque a latinorum consuetudine alienis, uti sunt haec novarum gentium ac barbararum nomina, putet profecto cuique esse liberum oportere & in soluta metro oratione & multo magis in carminibus, ubi est non modo syllabarum ratio diligenter habenda, verum etiam poetici numeri suavitas atque elegantia conquirenda.

(x) Nactus heic poeta ocasionem faciendi mentionem sui Rogerii Boscovichii viri certe omni laude ac commendatione majoris, eam non praetermisit. Itaque ei, quum a Londinensi Regia Academia amplissimis conditionibus ac verbis honorificentissimis fuisset invitatus, ut cum aliis Academiae sociis in Americam navigaret, e California transitum Veneris sub solari disco anno 1769. observaturus, fausta omnia adprecatur; felicioremque optat exitum, quam anno 1761. Venetiis habuerit, ubi

O tibi, dumque subit, dumque ipsa egressa relinquit
Lampada phoebeam, caelo lux alma sereno
Fulgeat, & faciles Zephyri plaudentibus alis
Disjiciant nubes! ah te ne eludat inani
Spe labor, ah cupidum rursum ne fallat, in urbe
Ceu Veneta quondam adriacas male lusit ad oras,
Bosphoron invisum foedaeque Propontidos arces
Quum peteres. i, docta rapit quo innata cupido,

---

ubi omnino male, tenebricosi caeli vitio, res illi cesserat. Quam quidem in rem non minus vere quam eleganter in quadam Elegia lusit Cunichius, quum eundem a longis itineribus revocaret: ait enim *Ejus desiderio torqueri sodales unanimos, qui eum nocte vocant atque die*

Irati quondam Gallis ac deinde Britannis;
Ipsi nunc Veneri, quae mala te dubios
Per casus pelagi, bellique pericla tumentis
Abripit: (ah nostri si miseret, Veneti,
Quum nondum fessus longarum ambage viarum
Adveniens vestra ponat in urbe pedem,
Vos illum, Veneti, si qua ratione teneri
Est potis, injecta vel retinete manu,
Vel cupidae ardorem mentis restinguite, ne quo
Discedat dulci rursus ab ausonia;)
Per casus pelagi quae te bellique pericla
Inlectum saevos ducit in Odrysios,

Solis

I decus o nostrum ; non tu sine laude redibis ;
Quo res cumque cadat. sed quid moror ? ardua ponto
Litora consurgunt Asiae, Tithonia sedes,
Supra Indum Gangemque supra, felicia regna
Qua Sinae posuere oris felicibus, & se
Ingenti (y) vallo scythico tutantur ab hoste.
Non & Bactra vides, Serasque, & Persidis arva ;
Assyrios, Parthosque, & Caspia caerula, & amplum
Eu-

Solis ut incedet magno quum parva sub orbe,
Primus ab eoa cuncta notes specula.
Isti dij Veneri faciant male ; quumque subire
Incipiet phoebi lampada flammiferam,
Involvat caelum nimbis densissimus auster,
Illa suum caeco tramite currat iter,
Nulli visa prius, quam longe a sole remotam
Pastor vel durus viderit agricola &c.

Bosphorus vero, seu potius Bosporus, graece enim Βοσπορος scribitur, heic invisus ideo adpellatur, quod quum in amplissimi viri Corrarii legati veneti comitatu Boscovichius Constantinopolim tandem navigasset, paullo post ibidem lethalem in morbum inciderat &c.

(y) *Ingenti vallo* ..... Nempe muro illo admirandae cujusdam magnitudinis, quo tota Sinarum regio, quasi urbs quaedam continuis moenibus, circumdatur: in longum enim ad 300. milliar. German. producitur; 40. cubitos altus est, 15. latus: quem tamen Scythae vulgo *Tartari* anno 1649. facta irruptione penetrarunt, mul-

Euphratem celeremque Tygrin, auroque fluentes
Hermum Pactolumque? Phryges haec jugera vertunt,
Et Lydi, & Cilices, Medique, & dives arenis
Thuriferis Panchaïa & eoi Nabathaei.
Aſpice & ad laevam Nilo faecunda tumenti
Aegypti late arva: en ut Memphitica pubes
Laeta vehi gaudet circum ſua rura phaſelis,
Iſidaque & facilem vocat ad ſolatia Oſyrim.
Mox ſubit ardeſcens propiori ſolis ab aeſtu
Et Lybia & Numidae infroeni, Getulaque Iarbae
Regia, quem rapta fertur Garamanthide nympha
Cinyphii genuiſſe Ammon ad fluminis undas.
Quid memorem Nomadas, Mauroſque, aut illa ſuperbae
Moenia verſa ſolo Carthaginis? unde juventus
Punica romuleis alpes immiſit apertas
Arcibus, ingentemque metum. cunctantis adeſſet
Ni Fabii (z) prudens in tali tempore virtus,
Africa fors Latium premeret, Carthago maneret.

Quo

---

multaque regna in ſuam poteſtatem redegerunt, per octo annos ſaeviſſime graſſati.

(z) *Ni Fabii* .... intellige Q. Fabium Maximum, qui fuit quinquies Conſul, ſemel Cenſor, bis Dictator, bis Princeps Senatus, bis triumphavit; primo quidem conſulatu de Liguribus, anno 521. quinto autem de Poenis, Tarentum quum recepiſſet anno 542. Annibalis

Quo tamen heu fugitis terrae? vix cernere partem
Exiguam licuit raptim; volat incita cursu
Ad dextrum conversa latus jam Graecia, jamque
Cyclades aegaeo pariter rapiuntur ab aestu.
O ubi Thessalia est, ubi sunt Peneïa rura,
Amphrysusque, & Taygeti Juga laeta Lacaenis
Virginibus, Dirceque, Alphaeaque flumina, & Ascra
Hesiodo celebrata seni: Nemeaeaque vallis,
Pythonisque nemus dictum, tua Pindare fama,
Isthmosque, argivaeque olim stadia illa juventae
In Jovis Elaei campo. mihi laurea Pindi
Quis nemora ostendat, quis dulcem Aganippida lympham
Hauriat? o Helicon; o Cyrrha, o flumina sancta
Pieridum salvete! obiti mihi totius orbis
Nulla viret pars laeta magis; fragrantia vobis
Medorum nemora, & niveis fulgentia baccis
Litora Erythraei; vobis & dives odorum
Tmolus, & Hesperidum cedunt horti, aurea cedunt

Et

---

balis ferociam & fortunam constantia sua contudit; remque romanam, acceptis ad Trebiam & Trasimenum cladibus fractam, cunctatione restituit, cunctatorque appellatus est. Unde Ennius primum in Annalibus, deinde Virgilius Aeneid. lib. VI. de illo iisdem verbis cecinit;

.... Tu Maximus ille es;
Unus qui nobis cunctando restituis rem &c.

Et Gangis regna atque Indi, constrataque late
Versicolorato gemmarum America nitore.
Salvete o iterum phoebo loca culta! quis alto
Post haec aut trhacen aut jam despectet ab axe,
Illyris adriaco ridet qua litore, terram;
Nobilis ismario quamquam illa superbiat Orpheo,
Haec patriae (*a*) notas longe mihi praeferat arces?
O patria o mihi cara vale! feror avius almum
In Latium toto paragrato victor ab orbe,
Si non Eleae properans tibi munus olivae,
Ast hedera, & lauro mixtum parnasside sertum.
    Haec ego de volucri cymba cursuque canebam
Aerio, magni dum iam ducis (*b*) altera proles
Nomen avi referens hetrusca ludit in aula,
Discit & auspiciis tanti genitoris ad Arnum
Tyrrhenis dare jura atque aurea condere secla:
Jamque prius (*c*) cecini laetus florente juventa,
Cur

(*a*) Patria enim auctoris est Ragusium; quae urbs ad Illyricum pertinet.

(*b*) Petro Leopoldo Archiduci Austriae, & Magno Hetruriae Duci hoc anno, quo editum est hoc poema, summa omnium gratulatione ac laetitia natus est Magnus Hetr. Princeps Arch. Austriae &c. Franciscus &c.

(*c*) Quemadmodum Virgilius in fine lib.4. Georg. ait,
. . . . *audaxque juventa,*
Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi
ita

Cur sonitus referant missos, cur muta loquantur
Et nemora & rupes. at nunc helicone relicto
Musarumque choris, diae sacra munera mentis
Naturamque sequor, lenis qua labitur amne
Caeruleo tybris, magnamque interfluit urbem.

---

ita etiam heic poeta initium sui carminis, quod in duos pariter divisum libros *Echo* inscribitur, & cujus jam alias mentio facta est, censuit adscribendum. Addit etiam se *nunc diae sacra munera mentis naturamque sequi*, quod hoc tempore in Theologiae studio versatur, utiturque magistris duobus viris doctissimis sapientissimisque Gaspare Segovia, & Hyacintho Stopinio.

FINIS LIBRI SECUNDI.



ELE-

ELEGIARUM

MONOBIBLOS.



.... ΓΕΡΑΩΝ ΔΕ ΘΕΟΙΣ ΚΑΛ-
ΛΙΣΤΟΝ ΑΟΙΔΗ.

Theocr. Idyll. XXIII.



AD MAGNAM

DEI MATREM.



CVI dabo exiguum pium libellum
Nec satis lepidum nec expolitum?
VIRGO *dia tibi. tuas libellus*
Quum laudes habeat, tuus libellus
Dici vult. satis ille se putabit,
Si non displiceat tibi, beatum.
Quod si fors placeat; nec inpolitus,
Jam nec illepidus, perennis aevo
Plus uno sibi plaudet, & libellos
Omnes, quot fuerunt politiores
Auroque & minio & cedro elegantes,
Vincet exiguus pius libellus.
At nisi auxilium tui repertum
Illi erit decorisque nominisque,
Vix notus tineis araneisque
Inter multa pusillus impiorum

Gran-

Grandia illa volumina ac venena
Atris in tenebris jacebit usque;
Vel tractu levior liquentis aurae
Vnaque aëriam ratem sequutus
Ibit ludibrium favoniorum.
Quare illum tibi habe, tuus vocetur,
Sit tuus. sub hera quid oro tanta
Vel sibi metuat, vel optet ipsi
A me jam fieri mage expetendum?



ELE-

ELEGIARUM MONOBIBLOS.

ELEGIA I.

Ad Virginem sine labe Conceptam.

PRimam qui vetito matrem decerpere ramo
Poma malus vafris impulit insidiis;
Quique suo mortale genus late omne parentis
Unius ob noxam subdidit imperio
Lethiferum inspirans virus, quod corpore fusum
Atque anima omnigenum monstra creat scelerum:
Idem ille in colubri faciem conversus & ora
Hostis atrox veteri te quoque posse capi
Credidit arte, infans rerum purissima. non spem
Tantae illi potuit demere laetitiae
Criminis aut ultrix diri promissa (a) virago
Impresso elidens monstra nefanda pede;

(a) Cornelius a Lap. in illud Genes. cap. 3. *ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus* &c. id etiam de B. Virgine intelligendum affirmat.

Aut rubus ille vetus (b) flamma crepitante cremari
Visus, sed nullam passus ab igne notam,
Unave (c) diluvio referens te, diva, Carina
Illa jugis tandem sospes in Armeniis;
Proxima vel tellus largo dum rore madescit,
Aridulum, ac nullo vellus (d) ab imbre madens.
Sunt rata signa: tuae foecunda matris in alvo,
At non maternae conscia labis, ades
En concepta. prius caelesti lampade sanctus
Nempe Amor exussit terque quaterque luem
Incretam, & stygii exemit mala semina tabi:
Tum nivea finxit candida membra manu
Sanguinis ipse legens guttas, qui purior, & qui
Matris erat toto in corpore vividior.
Ah fuge jam coluber: viden ut dia emicet infans?
Te petit illa, tibi bella necemque parat.
Hinc Amor, hinc tutam custos tegit altera pulcrum
Gratia (e) stellanti corpus amicta toga,

Spes-

(b) Exod. cap. 3.
(c) *Requievitque Arca ...... super montes Armeniae* &c Genes. cap. 8.
(d) Judic. cap. 6.
(e) Riccardus a S. Laur. super Eccl. *omne enim*, ait, *genus gratiarum*, *&* *omnia charismata virtutum intrarunt in Mariam* &c.

Spesque fidesque simul, flos ille merus virtutum,
Formosam laeto circumeunt thiaso.
Infans ò felix salve! quid vota moraris?
Annae jam nascens egredere ex utero
Nunc infans, olim virgoque parensque futura
Digna Deo; ex te una est nostra oritura salus,
Unaque tu generis lapsi pars integra, & una
Quam merito e nostro vix rear esse satu.
Scilicet Isacides priscum genus heroinae
Tantum omnes cedunt laudis honore tibi,
Quantum sublustri rutilantia sidera nocte
Fulgori cedunt cuncta hyperionio:
Qui quum se eoa mane extulit amphitrite,
Obruta inextinctis ipsa latent radiis,
Nec caelo apparent, nec pingunt aurea templa;
Ille suo tantum fundit ab axe jubar.
Et merito: nam quae parili se jactet honore,
Quae se laude tibi conferat? anne (f) Sara,
An formosa Rachele, an Debora fortis, an illa
Assyrio referens quae redit exuvias

(f) De Sara in Genesi mentio cap. 11. & sequ. De Rachele Gen. 29. dicitur, quod erat *decora facie, & venusto adspectu, quam* &c. Jud. lib. 4. *erat autem Debora prophetis uxor Lapidoth, quae judicabat populum* &c. Vide etiam librum Judith &c.

De duce sanguinea caput a cervice revulsum?
Quae prius, eximiae quam retulere decus
Virtutis, dederant stygiis captiva catenis
Et phlegethontaeo colla premenda jugo:
Omnibus ille draco malus ingruit, omnibus ante
Cervicem impositis pressit atrox pedibus.
Cujus tu contra sprevisti sola furorem,
Nec de te exuvias perfidus hostis habet.
Quin stygio quamvis epotum in te vomat amne
Virus, si qua ortus laedere fraude tuos
Possit, conantem frustra vincis tamen hostem
Innocuo calcans livida terga pede,
Insultansque. magis, magis o precor usque scelestum
Auctorem, a quo sunt omnia nata mala,
Omnia sunt nobis felicis gaudia vitae
A quo rapta, magis dia puella preme.
Ille suo ereptum per te nostrum genus iri
Infrendens frustra jam sciat imperio;
Et sciat & doleat vesanus. cur bona cessant
Gaudia? vicit io magna puella stygem,
Vicit, & attonitis laetum mortalibus omen
Iris (g) vicinae nuncia pacis adest.
En iterum, quales nondum ullo crimine foeda,
An-

(g) *Hoc est signum foederis .... arcum meum ponam in nubibus &c.*

Anguineo nondum perdita flagitio,
Terra dabat, flores parit undique versicolores:
Illi autem, circum dulce sonans Zephyrus
Dum volat, arguto foliorum murmure discunt,
Ut merita es, laudes dicere sancta tuas.
Dicite jam laudes, jamque una crescite flores,
Quos alit alma suae terra parens dominae;
Quosque in serta legens dicam, tibi munera prima
Lux mea pro domita dat styge noster amor:
Addam etiam cantus, sed quos nec Pieris ulla,
In sylvis Phoebus nec docet aoniis,
Humor hianteae qua defluit hippocrenes,
Et vatum epoto corda ciet latice.
Ingenium dabis ipsa; unam te nostra sonabunt
Carmina; tu nostri carminis auctor eris.



ELEGIA II.

Ad Virginem nascentem.



QUalis noctivagae phoebes (a) nitor almus olympo
Emicat, ac niveis invehitur bijugis;
Qualis ab eois nimbo conspersa rosarum
Memnonis illa parens prosilit aequoribus;
Qualis & imbriferas ubi guttas auricomus Sol
Permeat, in vario lumine versicolor
Post hyemem jam depulsam post nubila tetra
Formosae facies iridos exoritur;
Talis ades nascens: quid talis? ne bona saevi;
Quin potius vati parce puella tuo.
Pauperis hoc vitium linguae, quae nescia fari est,
Quod videt attonitis sensibus in te inhians
Mens animi, puras quum primum lucis in oras
Matris felici laberis e gremio:
Conatur tamen ipsa, potis si dicere, & omnes
Verborum nequidquam anxia versat opes,
Vestigatque undas, poti queis ducere vates
Sue-

(a) Cant. cant. 6. cap. 6. *Quae est ista, quae progreditur, quasi aurora consurgens, pulcra ut luna &c.*

Suerunt ismariis culminibus nemora,
Atque hebrum tanaimque inhibere: heic deficit humor
Pegaseus, fons heic aret apollineus;
Rerum nulla refert species te, diva, venustum
Nil est, quo non sis tute venusta mage.
Quippe venis, qualem voluit Sator ille supremus,
Et voluit, qua nec pulcrior ulla fuit,
Nec melior, volvens te (*b*) aeterna in mente, priusquam
Mundi libravit moenia ponderibus,
Effuditque auras late, certisque revinxit
Terrarum clausum finibus oceanum,
Sidera & immisit cælo. tu namque fuisti
Illud opus, majus quo nihil ipse deus,
Condidit & solem quamvis & sidera, prompsit
E tot inexhaustae mentis imaginibus;
Tantaque virtutis tua sunt (*c*) exordia, nondum
Nata omnes omni ut decore antevoles.
Nil igitur conferre tibi sese audeat: atqui
Non ideo has humiles sperne puella domos;
Has tibi praecipue rerum pater ipse paravit,
Praecipue tellus condita & astra tibi.

 Aspice

(*b*) Proverb. cap. 8. *ab aeterno ordinata sum* &c. *quando* &c. vide Expositores in hunc locum.
(*c*) *Fundamenta ejus in montibus sanctis: Diligit Dominus portas syon super omnia tabernacula Jacob*, Psal. 86.

Aſpice fulgentem lunam, quae dum aurea cælo
Ducit ſidereas nocte ſilente faces,
Optatum per laſſa dabit tibi membra ſoporem
Pallidula teneros luce fovens oculos.
Aſpice & auroram: rubuere ardentia cæli
Templa, rubent longe culminaque & ſilüae:
Haec tibi ſolis erit praenuncia. jam nova rerum,
Quoquo oculos vertas, ſe facies aperit:
Tethyos en pura prodit ſol almus ab unda,
Vaneſcunt tremulis ſidera luminibus,
Nuſquam atrae eſt facies noctis: tantum ille coruſcans.
Litore ab eoo litus ad heſperium
Spicula diffundit lucis volitantia; quae ſe
In ſeptem poſtquam. ſtamina diſſolüunt,
Omnibus ille ſuus rebus color, omnibus illa
Et forma & ſpecies floribus enituit.
Tum libani te (*d*) cedri, & ſioniae cypariſſi,
Tum vocat atque ingens palma, oleaeque viror,
Et riguo platanus campo, Hiericuntis & illa
Ambroſium os rubro tincta lepore roſa:
Dumque vocant, placidas zephyris motantibus auras,
Adſonat omne avium per nemora alta genus,
Collu-

(*d*) Eccl. cap. 24. *Quaſi cedrus* &c. Lege ſis Rupertum &c.

Colluditque iterans blando tua nomina cantu:
O quae tam felix nafceris, haud metuas
Heic habitare; tuo fi nunc dignabere terram
Adfpectu, veterem fe induet in fpeciem;
Qualem habuit, miferam quum nondum perdidit Heva
Decepta inferni fraude mala colubri.
Omnia funt illi primum hoc de fonte coorta
Tot mala, & omnigenae femina nequitiae:
Quae cunctis natura parens infaufta fuorum,
Haufere ut primae tempora vitae homines,
Infinuat penitus; tibi fed, quae colla draconis
Prefferis in carae matris adhuc gremio,
Haud unquam infevit. femper curaeque metufque
Longe aberunt, falfae & gaudia laetitiae,
Et fpes & defideria atque aeftus animorum,
Tranfverfos qui nos turbine conripiunt,
Abforbentq; atrum in barathrum. tibi pectoris omnes
Motus pax certo foedere certa reget,
Nullo inconftantis fortunae agitabere cafu,
Nulla tuum invadent nubila confilium:
Quae funt recta, voles; atque inter recta fequeris
Optima quaeque; in te candida lux inerit;
In te dius Amor, puram qui faepius auras
Te levis hinc pennis evehet aureolis
In fuperas alte volitans, ubi purior aether
Et fupra Sinain & juga Thaborea

Ri-

Ridet, & haud ullo concussus turbine saevit.
Illic tu nigris altior & nebulis,
Altior & nimbis ventisque furentibus omnes
Despicies casus, despiciesque minas,
Queis humilis regio haec miscetur. quare age laeta
Regina o terras ingredere, ipsa decus,
Ipsa aderis magnum columen mortalibus aegris.
Quos inter quum me videris, affer opem
Jactatoque vagoque: orto jam sidere tanto
In medio incolumes ibimus oceano.



ELE-

ELEGIA III.

Ad Virginem Deo se in Templo dicantem.



TAntane te capiunt carae fastidia matris?
Sicne audes patriis cedere liminibus?
Ah properos cohibe gressus, quo dia puella
Te rapis? an celsae templa petis Solymae
Virginibus (a) virgo decus accessura? quid eheu
Te sine jam mater, te sine jam genitor
Heu quid agat? tecum solatia rapta senectae,
Omnis tecum una lucis abibit amor,
Iste tuus praesens quem pridem adspectus alebat,
Nunc absens multa perdit amaritie.
Et quamvis te non teneant, suspirat uterque
Attamen, ac tepidis ora rigat lacrymis.
Ire tamen tu pergis: eunti ignoscite, tristem
Et fletum uvidulis tergite luminibus.

Illam

(a) Multa sunt hac in re aut obscura, aut incerta; magnaque est opinionum varietas inter auctores, qui de hujusmodi argumento scripsere. Nihil tamen heic dictum est, quod cuiquam temere dictum videri jure possit; quum ea fere omnia, quae describuntur, non levis auctoris alicujus nomine atque auctoritate nitantur.

Illam ducit Amor: dio quis pugnet Amori?
I, quo tantus agit, ſancta puella, deus:
Ipſe fores reſerat, dextram tibi porrigit ipſe,
Ut facili valeas limen adire gradu
Auratum templi limen, magis aptus in orbe
Iſtis quo nullus moribus eſſe locus,
Nulla potis mage digna domus. tu candida nempe es
Illa (*b*) columba, olim miſſa per imbriferos
Quae tractus, nondum quum ſederat aeſtus aquarum,
Abdita queis tellus maxima delituit,
Ut ſedem haud reperit late omina circumſpectans,
Quiret ubi niveos ponere laſſa pedes,
Extimuit, pluſumque alis fugiens dedit, & ſe
Laeta iterum navi reddidit incolumem.
Scilicet in terris alibi num ſiſtere poſſes,
Heic ubi commixtum fas ſimul atque nefas:
Tot ſcelerum facies, tam multae unde undique peſtes
E ſtygio excitae circumeunt barathro.
Quarum nulla tuos poterit corrumpere mores;
Nulla iſthuc inferre auſa pedem poterit
Te puram terrere. audin? jam numen in alma
Aede ſonant, numen carmina ſacra canunt,
Thureus ante aras dum ſe vapor evehit alte.
Tu

(*b*) Geneſ. cap. 8. *Emiſit quoque columbam poſt eum, ut videret .....: quae quum non inveniſſet, ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt ad eum in arcam* &c.

Tu divino adflatu intus adusta animum
Suspirasque ardesque atque uno numine gaudes
Ora sinumque tepenti imbre madefaciens.
Qualis ubi aurato subnitens cerea lychno
Concepit flammae vim facula igniferam,
Illa quidem mollita liquescit ab igne, simulque
Cuncta renidenti luce loca exhilarat.
Huic similis flesque ardesque; & jam vix capis ipsa
Plenam exultanti pectore laetitiam,
Qua socias inter gaudes jam sede recepta
In templi. at verso cardine jam crepuit
Postibus occlusis heu janua. quis mihi tete
Invidet, & cupidis subtrahit ex oculis?
Pande fores nimium immitis quicumque minister:
Men longe posse hac Virgine abesse putas?
Ergo te numquam posthac formosa videbo,
Abstrusam in magni numinis obsequio
Nunquam ego te adspiciam posthac? at mente tuebor,
At certe gratis pascar imaginibus;
Haud aliter quam si manifesto in lumine praesens
Praesentem obtutu conspicer assiduo.
Ac modo siderea (c) suffusam luce videbo
Arden-

(c) Aliqua heic officia atque munera referuntur ex iis, in quibus puellae, quae alebantur in templo, juxta verosimiliorem opinionem exercebantur.

Ardenti ſanctas fundere ab ore preces,
Quas alacer charitum circumvolitans chorus omnis
Excipit, ac ſedes evehit ad ſuperas
Aſtra ſuper ſoliſque jubar: modo ſacra canentem
Carmina, vel priſci temporis hiſtorias
Volventem, ac memori figentem in corde tuorum
Illa tot adſpiciam grandia facta patrum.
Saepe etiam cernam, ſuperum famulante corona,
Adpoſita in tela ducere ab arte notas;
Ut varii immenſos per caeli didita tractus
Numinis ad nutum fulſerit haec ſpecies,
Et nihili novus e latebris emerſerit orbis,
Non qualis nunc eſt dira lues hominum,
Cunctarumque ſimul virtutum triſte ſepulcrum,
Neſcius aſt ipſis cedere ſideribus.
Saeva parens, tantine fuit decerpere pomum?
Te miſerans coeptum forte remittit opus
Nunc mea virgo, tuoſque horret dum effingere caſus,
Daedala acus ſaepe illi excidit e digitis;
Flet quoque & anxifero ſuſpirat pectore. quid fles?
Non tibi, ſed nobis ſaeva parens nocuit.
Aurea quin tenui rurſum velamina filo
Pinge age, & artifici pollice rurſus acum
Docta cape: en quatuor video de partibus amnes
Caeruleo ſedes tramite dividere
Eliſias, tempe felicia; ver ubi ſemper,

Pu-

Puraque ubi caelo lux ſine nube micat.
Hic princeps eſt ille hominum; circa volucrum vis
Plaudit, & agnoſcit terra ſuum dominum,
Agnoſcuntque ferae omnigenae, floreſque videntur,
Qua ſe fert, prono vertice ſupliciter
Ipſi etiam venerari. alia ſtat parte puella
Pulcra os, ac flavis conſpicienda comis,
Quas inter zephyrus ludit laſcivus: at illi
Non coma, non curae eſt jam decus oris; hians
Arbore ſub viridi tantum ſtupet aurea mala,
Quam formoſa, legi non minus apta manu.
Illam anguis blande cernit, ramoque volutus
Mala inter ſquamis enitet aureolis.
Heu quid agit! niveam poma ad fatalia dextram
Porrigit: ah iſthoc, dia puella, precor,
Mitte opus! heic heva pro triſti, miſſa Virago
Illa polo potius magna locum teneat;
Quae premet inferni collum fatale draconis
Siderea in flavo ſerta gerens capite.
Hanc tu dum pinges, ſuplex venerabere, & unam
Quot fuerunt, quot erunt, matribus anteferes:
Hanc, ego te venerans, ſemper venerabor, & ipſam
Eſſe velim, vates cui placeam ante alios.

ELE-

ELEGIA IV.

Ad Virginem nubentem.



NOn temere insonuit laetis concentibus aura,
  Clarior & solito lumine tota nitet:
O venias mea nympha; sacras Hymeneus ad aras
  Ecce tibi casti vincula conjugii
Aerium caeli croceis findens iter alis
  Et gerit, & tali laude superbus ovat
Caelicolum in thiaso. viden, ut pars candida nectit
  Puniceis pulcre lilia taeniolis,
Pars in serta rosas addit tibi suave rubentes,
  Quas prius ambrosio rore rigavit Amor,
Dius Amor, numquam visus qui laetior ante
  Fulget inaurata candidus in tunica,
Sidereoque faces succensas igne coruscans
  Jam cupit optanti tradere te socio.
Ne dubites huic virgo tuam concredere dextram;
  Flagrat, at innocuo flagrat amore animum;
Dicetur jamque ipse tuus, diceris & ipsa
  Jam sua, sed primum stabit utrique decus,
Virgineus sed stabit honos, devotaque caelo
  A primo aetatis vere pudicitia.
Hoc felix tibi conjugium deus auctor olympo
Spon-

Spondet, & hunc socium destinat ipse tibi:
Hos etiam placidi vitream Jordanis ad undam
Inter plaudentum Naïadum choreas
Felices dulci cantu celebrare hymeneos
Est suetus Salomon ille tuus proavus
Magnorum soboles pulcherrima Jessidarum:
Ille amor hic fuerat castus, & almus hymen,
Cujus saepe nova capti dulcedine colles
Palmiferi exiluere & juga cedrifera.
At tu, cui talem fatorum arcana dicarunt
Nuptam, justitiae (*a*) praemia magna tuae,
O nimium felix gaude; tibi tradita cura
Illius est purae Virginis, ulla fuit
Qua neque amabilior superis, neque carior usquam,
Nec mage virgineo nobilis ingenio.
Nam quodcumque facit, quoquo sua lumina flectit,
Admovet illa virum sensibus omnigenae
Virtutis stimulos, castique accendit amoris
Non prius expertis vota cupidinibus.
Nunc tamen haec eadem tactus exosa viriles,
Certaque non legem frangere virgineam
En tibi se credit, nec dedignatur amantem.
Quippe illi in te uno tanta reperta fides,

G Omnia

(*a*) *Joseph autem . . . . . quum esset justus* &c. Luc. cap. I.

Omnia qui tenerae praestes bona commoda nuptae,
    Atque eadem intacto corpore tecta colas:
Ac veluti amplectens vitem ulmus tristia flabra
    Ventorum, validae sustinet atque hyemis
Immota incursus; carae tu nempe puellae
    Sis tale in duris casibus auxilium.
Hoc faciet, mens haec illi; socialia tecum
    Partiri vitae commoda cuncta volet,
Atque tui decoris (*b*) custos, atque additus una
    Moeroris, virgo, laetitiaeque comes
Cetera connubii tibi cedet jura, sat uno
    Munere contentus, quod tuus esse queat.
Hoc ipse an potuit majus contingere votum,
    An quidquam melius poscere coelicolas?
En qua regna patent phoebi flammantis ad ortum,
    Quaque idem hesperio tingit in amne rotas,
In terris facies non hac formosior ulla,
    Non est & virtute auctior ulla anima,
Fulgere cuique magis rerum illa aeterna potestas
    Eximiae semper laudis honore dedit.
Quare agite unanimi quos jungit foedere taeda
    Pura ferens puris gaudia conjugibus,

Con-

(*b*) *Desponsata est viro justo non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro* &c. ait Augustinus de sancta virginit.

Consulite o terris ambo: jam candida caeli
    Stillantis dio nubila rore pluent,
Jam tellus inarata almo foecunda vigore
    Pollicitum tumido proferet e gremio
Florem (c) Jesseum, suavem qui sparget odorem
    Stellarum sedes ultra hyperionias:
Illaque lucidulo clausae se cortice conchae
    Gemma nitens pulcris exeret aequoribus;
Cujus naturamque simul miratur & ortus
    Doris, & invisi seminis unde vigor.
Aetheria certe nascetur origine proles,
    Nascetur qui vos nomine saepe vocet,
Teque suum dicat patrem, tibi candida nympha
    Parvus ab admotis pendeat uberibus.
Tunc animus quis erit vobis? quae mens bona purae
    Laetitiae admirans gaudia concipiet?
Illa specus bethlea, illud mihi testis & antrum,
    Nunc tantum bruto grata domus pecori,
Thure olim dignanda atque ipsis aemula stellis
    Regales multo vincet honore lares.
Dicere plura mihi vetitum; immortalia musae
    Mortali prohibent facta docere sono.
Et jam concussit flagrantem lumine fausto

 Sub-

(c) Isai. cap. 11. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos* &c.

Subridens placide laetus Amor faculam ;
Ipsaque secreti linquens penetralia templi
Arguta virgo concrepuit solea .
O venias nova nupta novum columen nuptarum ;
Annulus in sponsi clara micans manibus
Candidulum poscit digitum , quo fulgeat aptus ,
Aeternam & fulgens servet amicitiam .
Gaude Amor , o gaude felix Hymenee , peracta
Omnia , jam nupsit vestra puella viro ,
Et pulcro suffusa genas pudibunda rubore
Nupta rubet , qualis sole pudoricolor
Os perfusa rubet tithonia matutino ,
Ac roseis prodit tethyos e foribus :
Sis felix mea vita ; die si videris isto
Me facilis , felix semper & ipse ferar .



ELE-

ELEGIA V.

Ad Virginem, Caelesti Nuncio accepto.



QUisquis ades, fer thura, pius: vos ite profani,
Ite, & facratis cedite limitibus:
Siderei en rutila caeli venit (*a*) ales ab arce
Nuncius (alarum nofco ego jam fonitum,
Ambrofios nofco crines, nec fallor), & ifta
Fulgentem laetus ponit in aede pedem.
Jam fubiit: quid virgo tulit? quae verba loquutus?
Me miferum, trepido pectore follicita
Turbatae (*b*) fimilis fufpiras. cur ita fpargis
Virgineo niveas moefta rubore genas?
Qui timor hic tantus, quae triftia nuncia terrent
Atronitam? certe gaudia laeta tulit:
Laeta piis hilares portendunt gaudia divi.
Felicem diae germine te fobolis,
Felicem matres inter te dixit, & unam
Cunctis omnipotens quam pater antetulit.
G 3 Idne

(*a*) Luc. cap. I. *Miffus eft Angelus* &c.
(*b*) *Quae quum audiffet, turbata eft in fermone ejus* &c. cap. I. Luc.

Idne (c) times, Virgo, materno & nomine palles?
Ah iſtum trepido pone metum ex animo.
Mater eris, ſed virgo ſimul: deus ipſe parentem
Te ſibi jam legit maximus, & metues,
Ne tibi virgineus pereat flos? purior imo
Adflatu extiterit numinis ac melior.
En repetens animo priſcorum oracula vatum
In te illud matrum caſta puella decus,
Foecundam in te illam divinitus heroinam
Agnoſco. o quid me laetius eſſe poteſt?
Quid magis optandum terris contingere? ſalve
Lux bona ſperatae conſcia laetitiae,
Salve ales, ſalve quot ſunt Jeſſeïdas inter
Maxima! jam promiſſa ergo erit illa dies,
Ergo erit o Virgo, qua, poſt diſcrimina rerum
Multa, ignominias poſt tot, & opprobria,
Quae miſere patrio tulimus pro crimine ſontes,
Libera jam dabitur ſolvere colla jugo,
Jam caelum ſperare: hominum per te genus omne
Nunc melius fauſtis naſcitur auſpiciis,
Ac decus amiſſum ſpondet ſibi; tu modo Virgo
Elue foemineum foemina triſte ſcelus
Aetheria foecunda aura. ſi dura reſiſtes,
Irrita per caelum vota ferent zephyri,

Mer-

(c) Luc. item cap. 1. *Ne timeas* &c.

Mersaque letheo spes usque innabit in amne.
Haud etenim nostrae tollere tristitiae
Tantillum quisquam potis est te praeter, ab una
Nostra salus pendet nempe vel interitus.
Exitium ah nostrum ni vis crudelior Heva,
Humani te jam tangat amor generis.
Hoc matris lacrymae, hoc genitor te poscit: an audes
Hos quoque speratis demere sideribus?
Qui te nutribant quum parvam, tot bona totque
Eximii dotes eximias animi
Mirantes meliora sibi, meliora solebant
Haud temere sperare omni hominum generi;
Fors quoque promissam terris te saepe putabant,
Quae digna & diae matris honore fores.
Excidit an facinus, stygii quo colla draconis
Pressisti, quo non fortius esse pote?
Tempore jam ex illo melius confidere nobis
Coepimus, & nostram agnoscere te dominam.
Nunc tua at immenso celebrabitur aethere fama,
Nunc terris nullo tempore deficiet,
Quin longo aetatum senio magis usque vigebit,
Clarescetque magis nomen ubique tuum;
Hesperius noscet, cultor te noscet Eous,
Supposita & geminis ultima terra polis
Virtutemque suae colet & benefacta parentis.
Auguror: haec etiam ipsa haec domus illyricos

 Aera

Aera (*d*) per liquidum procul hinc petet advena colles:
O nemora, o colles illyriae, o libano,
Engaddique jugis quae tum loca praeferet illa,
Gaudete ipsius dum licet hospitio;
Certatim, haec virgo hic juvenis quibus institit ales,
Oscula sacratis figite liminibus.
Non tanto gaudere diu nam munere, tanta
Non vobis longum laude frui dabitur.
Jam volat adriacos fugiens super ardua fluctus,
Vectaque litoribus sidit in ausoniis,
Qua nemora adclivi paullatim laurea calle
Surgunt Picenis edita verticibus;
Sedem illic cultumque volet: tu Dalmata frustra
Desertam ut redeat rursus in illyriam,
Litoris adversa patrii flens tristis in ora
Sparges aeoliis vota ferenda notis.
Illic diva sibi sedem leget ipsa, potenti
Illic ausoniam numine diva teget;
Excitaeque ferent illuc sua munera gentes,
Quas & Arabs, quas & ditior Assyria,
Indiaque aurifero submittit litore merces,
Concharum & genitor parturit oceanus.
Sed mihi quae subito lux emicat? annuit (*e*) alma,
Annuit

(*d*) Vid. Tursellinum in *hist. Dom. Lauret.*
(*e*) *Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi* &c. Luc. cap. 1.

Annuit o! laetus nuncius ecce redit.
Ille secat roseis coelum pennis; deus alvum
Virginis in castam labitur omnipotens.
Concipis en virgo dium sine semine foetum,
Nec qua in te venit, qua subiitque via;
Mirans agnoscis, plenam te lumine tantum,
Unigenamque utero noscis habere deum.
Ceu quando florum per germina matutinus
Lene fluens puro liquitur axe liquor,
Rore madent pellucidulo, rore omnia late
Canescunt, blandum nescia qua subiit
Intra sé rorem sentit rosa, sentit & udum
Sublucens violae purpura aperta sinum,
Omne genus florum sentit, penitusque recepto
Et viget, & molli germine quisque tumet.



ELE-

ELEGIA VI.

Ad Virginem in montana proficiſcentem .



ERgo etiam (a) in montes atque addita montibus antra
  Audebis, patria Virgo profecta domo,
Ire gravis foetu, nuper concretus in alvo
  Qui tua inextincto numine dius ineſt,
Quique tibi carus certe eſt, quam quod pote carum
  Eſſe mage ? ah tenerae parcere tam refugis
Si tibi, ſi quemvis audes perferre laborem
  Magnanima, & duris caſibus indomita ;
Sat Pharias olim fuerit contendere ad oras,
  Inque Canopaeis degere litoribus,
Parce tuae nunc o proli miſerata ; quid illam
  Excrucies ? laſſo corpore languidula,
Aut nimium propero figens veſtigia greſſu
  In ſentes quoties vulnificos pedibus,
Aſperaque offendes in ſaxa, dolebit & infans
  Ah tener, ah vulnus ſentiet ipſe tuum,
Ingemet & gemitu audito. ſi tantus Eliſae

Te

(a) *Exſurgens autem Maria* .... *abiit in montana cum feſtinatione* &c. cap. 1. Luc.

Te consanguineae tangit amor, sobolis
Jam potior matrem tangat cura. an tibi vota
Haec puer in tacito suscitat ipse animo?
Sic certe est: non haec ejus sine numine fiunt,
Ille per ignotas te jubet ire vias.
Tune illi haud parcas? tu frondiferas convalles,
Celsaque montanis edita verticibus
Antra petas illo invito? non hoc tuus iste
Nos sinit in puerum credere magnus amor.
Nunc utinam comes ipse forem, ne sola viarum
Scabra per, & saevos ingrediare rubos;
Praecurrens, quacumque ires, citus omne polirem
Virgo solum, ne quid mollibus officiat
Plantis, aut silices, ramorum aut fragmina; & o quam
Perstarem tanto laetus in officio;
Quamquam iter hinc esset longe tibi trans Atlanta,
Trans Indum, trans & Caucaseam glaciem!
Te socia quid enim haud ausim? sed tute loquentem
Deseris, & cupidum me renuis comitem.
I mea virgo; regat sic te supremus ab alto
Ille pater, cujus fers utero unigenam;
Sic dius te servet Amor; sic serviat uni
Quidquid habet tellus, quidquid & axis habet.
Nubila jam pluviæque absint; sol purior igni
Splendeat, & clara luce supervehitur
Dum solito mage lætus, ubique hilares hyacinthi,
Lilia-

Liliaque, & violae ſuave magis niteant;
Omnibus & rebus veniat nova gratia, & omnis
Jam natura omnes pandat opes dominae.
Fallor? an & volitans rutilas huc ipſe per auras
Aligerum Gabriel agmen agit juvenum;
Qualis formoſos inter formoſior ignes
Occiduo lotus veſper in oceano.
O nymphae bona juſſa ferens qui nuncius axe
Adſtiteras nuper miſſus ab aetherio,
Idem tu ſuperos inter pulcherrime divam
Duc age, & incoeptae ſis comes uſque viae:
Neve illi ſolis noceat vis acrior, alas
Pande caput ſupra virgineum roſeas:
Pennarum objectu radii fraugantur, at illa
Gaudeat umbroſo tramite ferre pedes.
Interdum & platano ſubeat deſeſſa, neque ultra
Tendat iter: ſcabro praecipue e ſilice,
Muſcus ubi, & vario veſtit ſe gramine tellus
Verſicolor, ſi fons lene ſonans fugiat
Saxa inter ſimilis pellucidulae criſtallo.
Heic illa aſſideat; ſeu velit, aridulo
Ore ſitim relevare, oculos ſeu claudere ſomno;
Ipſe feret latices rivulus ad cyathum,
Lumina, dum lento trepidans fertur decurſu,
Ipſe ſoporifero murmure fota teget.
Omnia ſint jucunda: hinc atque hinc ſaepe volantes
Ali-

Aligeri fratres germina odora metant;
Et quacumque pedes virgo feret, imbre rosarum
Purpureo spargant desuper omne solum:
Pars niveis divae pedibus subjecta premetur,
Ibit pars tremulis ludibrium zephyris;
Qui dum frigidulo mulcentes aera flatu
Spirabunt, ramis tecta sub arboreis
Suavior organico cantus dabit ore liquentes
Daulias absumti non memor illa Ityos.
Si velit & blandis tecum sermonibus horas
Fallere, sermones cura tibi serere
Sit, quoscumque animo scis ipse placere puellae,
Illam quos melius posse tenere putas;
Ut minus ignoti gradiens fastidia callis
Sentiat, optatam dum bona visat (*b*) anum.
Quae simul ac longe venientem a limine nympham
Viderit, occurrens protinus exiliet,
Amplexusque ferens atque oscula dulcia figens
Haerebit dominae collo humerisque diu.
Mox etiam propiore dei jam numine plena
Fatidicos vero solvet ab ore modos:
Scilicet indignam (*c*) sese, quam candida visat
Vir-

(*b*) Luc. cap. 1. ait Zaccharias: *uxor mea processit in diebus suis* &c.
(*c*) *Unde hoc mihi, ut* &c. Luc. cap. 1.

Virgo eadem ac magno foeta deo mulier.
At quae ibi proh! virgo contra tu verba loqueris,
Quam miranda, & quam (*d*) magnifica evolües?
Felices, quos tu dignaris visere; felix
Et mater, felix matris & ipse puer,
Qui jam longaeva succrescit sanctus in alvo,
Matris & (*e*) exultans rumpere claustra cupit,
Praesentem ut videat, sibi qua veniente refulsit,
Lux nova, & insueto munere dius amor.

(*d*) *Magnificat anima mea* &c. cap. 1. Luc.
(*e*) *Exultavit in gaudio infans* &c. eodem cap. Luc.



ELE-

ELEGIA VII.

Ad Virginem Divino Partu jam perfecto.



NON ver floriferum ridet, non aura favonj
Lene ciet pennis aequora purpereis;
At fera Idumeos late nix obruit agros,
Jordanisque alto constitit unda gelu,
Frigida & hybernae volvuntur sidera noctis:
Tu gelidae ingressa in pumicis hospitium
Ah qualem puerum virgo paris! o bona mater,
Quam (*a*) pulcher tuus est, quam puer hic similis
Est tibi! non certe matrem rosa, non amaranthus
Purpureo melius purpuream ore refert,
Parvus ubi explicuit molli de cortice frontem.
Ut capit, ut memet surripit ille mihi,
Huc istos blande quoties convertit ocellos,
Queis etiam posset vincere vim chalybis,
Aut si quid chalybe ipso usquam pote durius esse.

Vin-

(*a*) Psal. 44. *Speciosus forma prae filiis hominum* &c. Nicephorus autem Callist. hist. lib. 1. cap. 40. ait: *persimilis denique per omnia fuit divinae & immaculatae suae Matri.*

Vincor io: tantae ferre negant oculi
Mortales lucis flagrantia ſpicula; noſco
Numen, in humano corpore quippe ſubeſt,
Nec tacite prodit ſeſe. velut obvia ſoli
Quum ſeſe aut nubes, aut vapor oppoſuit,
Objectu & radios intercipit; ille coruſci
Quamquam intercepta parte latet jubaris,
Haud tamen omnino tegitur, nebulamque per ipſam
Fundit inextinctas lucis ab axe faces.
Sed deus eſt quando puer editus, heicne jacebit?
Nec minus hoc fuerat vilis in orbe locus?
Heic igitur, virgo, heic inter deſerta ferarum
Luſtra pruinoſis pervia flaminibus,
Rupe ſub hac ſcabris pendentibus undique tophis
Nudus in agreſti ſtramine pro viola,
Pro molli narciſſo, pro languenti hyacintho
Iſte tuus ponat lactea membra puer?
Humani ille ſalus generis ſpeſque unica, longe
Proh dolor! humano pulſus ab hoſpitio eſt;
Et tremit & gelida vagit projectus in ulva,
Aurea ſidereo cui micat axe domus.
Te tamen haud pudeat vili peperiſſe ſub antro:
Tantus ubi eſt infans, tantaque ubi genitrix,
Illa capit ſedes, quidquid formoſius uſquam eſt,
Illa ipſis domus eſt aemula ſideribus.
Quin etiam tempus veniet, quum rupibus hiſce
In-

Invideat tantum maxima terra decus;
Nilus, & Euphrates, Ister, flavusque Garumna,
Ille suam Aegyptum oblitus, hic Armeniam,
Teuthonicas arces alii Gallumque potentem
Hac fluere undisono tramite quam cuperent;
Quam riguo rupes adtactu has lambere! dumque
Hac fluerent, solito lentior unda foret.
Jam video & lapsis quaesitum oracula rebus
Haec loca & Eoos & petere Hesperios
Trans freta trans montes longe: quin martia Roma
Hanc septemgemino vertice supliciter
Exiguam colit ipsa specum nil aurea curans
Illa suo quondam templa superba jove.
Jupiter hic melior puer est: latet ille, suumque,
Hoc nascente, caput condidit in stygii
Horrentes erebi latebras, informe barathrum,
Quo nos jam blandis egerat insidiis,
Ni tu dia parens pepetisses. omnia nobis
Sunt bona de tanto nata puerperio,
Ac gemitus fletusque atque anxiferi singultus
Sunt versi in subitae gaudia laetitiae:
Pax regnat, pax alma viget; tuque inclyta magnum
Virgo in Achemeniis nomen habes domibus.
Laeti adsunt; en certe adsunt, ducentibus astris
Non rude pastorum vulgus, & agricolae,

Ast (*b*) Arabum proceres delecti, prima virorum,
Qui tibi qui puero ditia dona ferunt
Litoribus longe a patriis. hos tu bona cernes
Quum gnati ambrosios procidere ante pedes,
Lactanti excipiens vultu solabere; & o quam
Dimittes hilares rursus in Arabiam!
Illi felicem te dicent; unaque certe
Matres tu felix mater es ante alias,
Quae tantum edideris puerum; cui contigit uni
Tale decus. gremio tune fovere deum?
Tu potes & diae acclinis dare basia fronti,
Inque os lac niveis exprimere uberibus?
Ille tibi adridet, te obtutu fixus in una
Gaudet tam de se cernere sollicitam,
Ac matrem agnoscit sua tendens brachia, & ora
Quum movet, o quantum te, mea mater, amo,
Dicere hiante videtur jamjam velle labello,
Atque tuo illius pendet ab ore anima.
O si quid merui, vatis subeat quoque cura,
Blando meme oculo fac puer adspiciat,
Fac quoque uti, foedum sit quamvis, hoc capiat cor,
Si

(*b*) *Ecce Magi ab oriente venerunt* &c. Joann. cap.2. & Psalmo 71. *Reges Tharsis & Insulae munera offerent, reges Arabum* &c.

Si capiet, nivibus purius illud erit,
Nec mihi jam posthac, tibi vivam at, virgo, tuoque
Huic puero, quo nil extat amabilius,
Seu gelidum resonis implet vagitibus antrum,
Lactea seu ridens ubera forte petit.



ELEGIA VIII.

Ad Virginem se in templo lustraturam.



ETsi Amor aetheria gravidam te fecerit aura,
Dius & intacto prodierit gremio,
Natura mirante, puer; qualis vitreum (*a*) lux
Effluit innocuo tramite per speculum,
Aut pellucidulam per aquam; tamen o mea virgo
Candida, & a partu purior ipsa tuo,
Tune etiam matres inter lustranda profanas
Alta palestinae templa petis Solymae;
Cura nec illa subest, ah te ne ignara virorum
Turba putet reliquis matribus assimilem,

H 2 Vul-

(*a*) S. Basilius *orat. in nativ. Christi*, eamdem adhibet similitudinem; & Cornelius a Lap. *in cap. 2. Luc.*

Vulgaresque inter ponat male? quo tuus ille
Nunc magnus cessit virginitatis amor?
Quo tua fama? ista non certe lege teneris:
Lex ea in immundum lata puerperium est.
Nulla in te humanae fuerunt (*b*) contagia labis,
Nulla itidem in pura culpa pianda manet.
Atqui etiam (*c*) geminas dulci fers dona columbas
Pro gnato, niveis qui tibi ab uberibus
Abstractus patrias jamjam sistetur ad aras,
Ac superos terris pacificabit heros.
Heic aliquid certe majus latet: eja age custos
Aerato templi cardine pande fores;
Thure vaporatam, lustrali & rore parentem
Excipe, quaeque tulit munera suscipias.
En subit illa: veni jam, virgo, piacula prima
Facta, licet sancta ponere in aede pedem;
Quisque locum tibi cedit, & admiratur euntem.
Tu dejecta solo lumina, corde preces
Concipis in tacito, pudibundo incedis & ore
Ad-

(*b*) S. Bernardus *serm.* 3. *de Purif.* ait: *nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum .... vere o beata Virgo vere non habes caussam, nec tibi opus est purificatione.*

(*c*) Levit. cap. 12. *quod si non invenerit .... poterit offerre agnum; sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum* &c.

Admissae veluti conscia si maculae,
Multarum una fores veluti si foemina. mirum
Ah frustra quaeris jam decus occulere;
Te vultus tacitam prodit tuus. aspicis? unam
Te cupit, in te inhians ille senex (*d*) oculis
In media gestit solam te visere turba.
Ut magnae praefert gaudia laetitiae;
Utque tuum amplexu gnatum petit! o bona mater,
Felicem optato pignore redde senem,
Ne renuas cupido tantisper tradere natum.
Dic age, quid viso tantum inhias puero?
Quid tantum in pulcra tibi mens stupet heroina?
Certe est & soboles nota tibi & genitrix.
Ac velut Eridani ripis, aut Asia circum
Flumina, vicini conscius interitus,
Laetior ingeminat jucundo gutture cantus
Albus olor, resonant & nemora & filüae:
Tu quoque sic nimium felix jam morte sub ipsa
Fatidica ad suaves ora modos aperis.
Scilicet haud vitam (*e*) producere longius optas,
H 3 Quum

(*d*) Luc. cap. 2. . . . . *cui nomen Simeon, & homo iste justus & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus Sanctus erat in eo* &c.

(*e*) *Accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti* &c. Luc. cap. 2.

Quum jam pollicitam videris aetherio
Semine progeniem, noſtrum quae ſanguine crimen
Eluet, & claro lumine diſcutiens
Noctem atram, late magnum quae ſparſa per orbem
Mortales miſere nigra acies hebetat,
Plorantesque vagoſque & tantae lucis egentes
Nos ducet ſedem Caelicolum in ſuperam;
Ulla nec oceano tellus extrema refuſo
Illius ſeſe ſubtrahet à radiis.
At quos tu memoras (*f*) luctus? quae dira parenti
Supplicia? anne ullus tam ferus extiterit,
Qui non depereat puerum, qui mollia matris
Tranſadigat ferro pectora luctifico?
Ah metuas ne virgo; tibi jam pignora reddit
En ſenior; quin tu ſancta quod inſtat, age:
Siſte patri unigenam, cujus nunc fama feretur
Inclyta trans Indos, trans & Hyperboreos;
Cumque ſua matris quoque fama vagabitur ingens,
Magnanimum ſuperis hoc bona ſi dederis
Munus diva. videſne altum diſcedere caelum,
Mirari & cupido lumine caelicolas
Jam non infeſtos mortalibus aerumnoſis?

Ipſe

(*f*) *Ecce poſitus eſt hic in ruinam .... & in ſignum cui contradicetur; & tuam ipſius animam pertranſibit gladius* &c. Luc. eodem cap. 2.

Ipſe deum tanto munere jam genitor
Gaviſus ponit minitantia fulmina dextra;
Hoſtia pro innumeris millibus una ſat eſt.
O factum bene! progeniem tu ſiſtis ad aram.
O puer, o humani unica ſpes generis
Rite ſacerdotum manibus nunc victima patri
Dum tu magna volens ſiſteris, o nimium
Felicem his me ſi vinclis, ſi corpore ſolvas!
Primus uti in ſedes nuncius Eliſias
Adveniam; atque idem ſpectacli teſtis, ego hiſce
Vidi oculis, dicam, vidi egomet, proceres
Iſacidae o fidi, puerum, quem ſaepe vocaſtis
Sollicití multis non ſine muneribus;
Quem fore victorem, quemque unum noſtis olympo
Vos poſſe ac rutilis reddere ſideribus.
Ipſe patri ſe devovit; gnatum optima mater
Obtulit immortale auſa animo facinus.
Audiet heroum haec hilaris chorus, audiet Heva,
Illi & manabit conſcius ore rubor.
Sin, hoc ne immeritus poſſim contingere votum,
Abnuis, at liceat dicere carminibus
Matrem, ſancte, tuam, liceat mi ferre per ora
Haec ipſius facta atque alia atque alia:
Tuque eris in carae matris pars carmine magna,
Suavius admixtum nomen utrumque ſonat.
Annuit ecce puer votis, tuque annue virgo;

Donaque fac rata sint pro pietate mea.
Omnia jam sperem: nihil est potis illa negare,
Quae modo pro me gnatum obtulit ipsa suum.



ELEGIA IX.

Ad Virginem stantem juxta Jesu Crucem.



SI quid mi vere miserum contingere, si quid
Mi potuit, fixo vulnere quod penitus
Ipsam sedem animae laniaret; contigit eheu
Id certe, quum te laeta prius genitrix,
Laeta & cunctarum fortunatissima matrum
Heic video, heic cari supplicium capitis,
Spectantem & lethum, quo nec crudelius ullum,
Nec mage probrosum jam queat accidere.
Vae miserae! quali dicam te fervere luctu,
Curarum quantis millibus intus agi?
Quamque alto absorbens aerumnae (a) vortice amaror
Tri-

(a) Juxta illud Thr. 2. *Magna est velut mare contritio tua* &c. cum prius dixisset Jerem. *Cui assimilabo te, aut cui exaequabo te, Virgo, filia Jerusalem?*

Tristis in abruptum te pepulit barathrum !
Nam mihi quid matrem (*b*) memorant Ismaelis ? illum
Quid, nati postquam (*c*) sanguineas retulit
Exuvias fraterna manus, patrem externatum
Et gemitu & luctu perdito ? uterque dolor
Magnus, at aequandus non isti: vincis ut omnes
Prolis amore, ipsa & moestitia superas,
O mater, quid jam mater ? tune illa beata,
Aetheria & felix dicta parens sobole,
Tune illum edideras, quo non formosior alter,
Non erat in terris alter amabilior ?
Heu nimium brevis ille fuit decor, heu nimium flos
Ille cito casu languit aridulus.
O ubi caesaries flava est, ubi candor, & ille
Purpureus niveo mixtus in ore color ?
Quale rosis lac puniceis si sparserit, aut si
Ostro inflammarit candidulum quis ebur.
Illa ubi delituit species, ubi lumina, sidus

Ah

(*b*) Intellige Agar, cujus in Genes. fit mentio cap. 16.

(*c*) *Tulerunt autem tunicam ejus, & in sanguine haedi, quem occiderant, tinxerunt ..... scissisque vestibus, indutus est* (Jacob) *cilicio lugens filium suum* (Joseph) *multo tempore .... noluit consolationem accipere; sed ait, descendam ad filium meum lugens in infernum* &c. Genes. 37. cap.

Ah geminum, & dulci dulcia melle magis
Verba, leporque, quibus per frondiferas convalles
Perque juga & saltus & nemora & scopulos
Attonitum oblitumque lares ac tecta trahebat.
Post sese dio vescier adloquio
Optantem vulgum. vix ipsum agnoscere mater
Nunc potes; effusus lurida membra cruor,
Liventesque notae flagrorum unde undique foedant,
Vulneraque inflictis addita vulneribus,
Ulla nec in lacero pars integra corpore restat,
Nullaque vulnifico pars caret exitio.
Tempora proh! spinis cohibet paliurus acutis;
Harum aliae infixa cuspide per cerebrum
Perque genas fecere viam, miserabile visu,
Horrendumque! oculos per medios aliae
Luctificam exertant aciem madidamque cruore:
Qui partim guttatim imbre fluit tepido,
Partim etiam undanti rivo per membra volutus
Ubertim duros inrigat & lapides.
Nate deo, ah nimium fluxit jam sanguinis; ah jam
Parce precor, curnam te amplius excrucies?
Tanti igitur mortale fuit genus? huccine tandem
Nostra salus, huc te nostri amor abripuit?
Poenarum satis exhaustum, jam desine; & ipsi
Ni tibi vis, matri lux mea parce tuae;
Quae moesta attonitos nusquam declinat ocellos
A te

A te jucundo germine; nil loquitur,
Sed (*d*) ſtat, & aegreſcens pallet ceu ſaxea, fletus
Et premit (*e*) aegreſcens ſaxea uti effigies.
Nempe & verba dolor, moeſta & ſuſpiria magnus
Obruit, atque ipſis clauſit iter lacrymis,
Ne quod ſollicitae lenimen forte veniret,
Neu minor in penito cura animo fureret.
Una duos dabit exitio, lux ipſa parentem
Heu rapiet, gnatum quae rapit exanimem.
An non ſuffixum ſic foedo in ſtipite mater,
Sic te diſcerpto corpore ſuſpiciens,
Pallentemque aegrumque & lethi limine in ipſo
Protinus ereptis ſenſibus ipſa cadet?
Infelix: non certe illi praecordia circum
Stat lapis, aut duro dura riget chalybe.
At rigeat: tellus nonne ipſa excita dolore
Bruta cavernoſis ingemit e latebris?
Velle minatur & horribili ſubſidere hiatu
In Styga; flent montes, fluminaque, & nemora.
Neu tantum aſpiciat titan ſcelus, abdidit atro
Axe jubar nigram conditus in nebulam,
Arden-

(*d*) Joann. cap. 19. *Stabant autem juxta crucem Jeſu Mater ejus, & ſoror* &c.

(*e*) Juxta illud S. Ambroſii *Conſol. in Valentin. obit.* dicentis de eadem: *Stantem lego, flentem non lego* &c.

Ardentesque oris radios extinxit, & auream
Detraxit flavo caesariem capiti
Umbrarum per opaca horrens; cui sanguine sparsa
Jam soror atratos obvia jungit equos,
Inducitque polo stellas, quae triste micantes
Funereas referunt nocte silente faces.
Quid mater? quae dira suus quot vulnera natus
Corpore habet, totidem saucia sentit amans
Cuncta suis impressa locis. Amor insidet illi,
Et laevo in miserae sculpit atrox latere
Exanimem nati effigiem, teloque cruento
Ipsius usque instans pectora transadigit.
Ferreus ah certe est, & ferro durior ille,
Qui tantam potis est cernere saevitiem.
Parce Amor o quovis crudelior hoste secare
Multifido innocuae Virginis ense sinum.
Ecce suae in matris noscit se pectore gnatus,
Illa refert gnati vulnera quaeque sui;
Sauciat atque parens gnatum, gnatusque parentem;
Alter & alterius pendet ab ore tamen.
Numnam etiam audebit cari moestissima virgo
Perferre extremum pignoris interitum?
Ipsaque frigidulos manibus componere ocellos,
Sparso & sanguineas tergere crine notas?
Hinc ah cede procul: gnati latus impetit hasta
Miles, & aerata cuspide cor terebrat.

Ah

Ah procul hinc concede: a parva Virgine noram
 Magnanimam, sed quae maxima jam potuit
Esse, fuit virtus; simul ipsa animam exhalabis
 Cum nato, ipsa cades victa dolore simul.
Jamque labat: comites o fidae abducite divam;
 Nullus & extincti nuncius adveniat:
Incolumem servate; illi dum caussa doloris
 Filius edomita morte erebique duce
Victor ovans clara det sese in luce videndum,
 Spargat & optatae munera laetitiae,
Ante alios matri ostensus, cujus mihi luctus
 Nunc ipsam & vocem surpuit atque animam.



ELE-

ELEGIA X.

Ad Virginem terris decessuram.



QUod mihi curarum saevis tot fluctibus acto
 In vita reliquum dulce levamen erat,
Coeperat & quo uno mitescere tristis amaror,
 Atque dolor fieri in pectore jam levior,
Sollicitum qui me tenuit, qui mi expulit omnem
 Laetitiam ac suaves delicias animi,
Ex quo deseruit tua nos illa aurea proles
 Ille deus magni numinis unigena;
Id quoque nunc raptum virgo mihi. scilicet ipsa
 Caelicolum properas addere te choreis
Astra super longe a terris flammantia templa.
 Gaudia tecum una, tecum abeunt charites,
Et nostras quaecumque valent solatia mentes
 Lenire, ac tristem demere moestitiam.
Nam qualis per prata, nigrae post nubila brumae,
 Post & threicii saevitiem boreae,
Lenior adspirans genitabilis aura favoni
 Surgit odorato chloridos e thalamo;
Aut qualis tumidum nautis pavitantibus aequor
 Lucida hyperboreo stella sub axe micat:

Talis

Talis erat nobis virgo tuus aurea vultus,
Tali praesentes usque juvabat ope.
Scilicet una aderas mortalibus aerumnosis,
Quacum nil illis triste timere fuit,
Qua sine nec gratum contra nec amabile quidquam est.
Cui me, cui flentes deseris ah socias
Thaboridas nymphas, nymphas libanitidas? esse
Profuit expertem quid patrii sceleris;
Quid magnum intacta numen gessisse sub alvo;
Non minus ingratae funera persephones
Ipsa etiam si tu subeas, fatoque perempta
Heu propero hinc alias abripiare plagas?
Nonne tuum est, quodcumque vides? tibi sidera mundi
Hic varius rerum vertitur ordo tibi;
Et perfusa tuo formosa est lumine tellus,
Adspectu & recreas, quidquid ubique viget.
Omnia quae contra nunc squallent, omnibus omnis
Effugit e rebus te fugiente decor;
Atque atrae apparent facies: ipse ignea titan
Auricomus rutili languidior jubaris
Spicula diffundit; quae, dum sublimis ab axe
Lustrat idumei thaboris hospitia,
Eque tuis virgo succendere suevit ocellis,
Et fieri adspectu clarior ipse tuo.
At non ille miser; neque enim pote noscere damna:
Nos miseri, nos hic perdidit interitus.

Qui

Qui bona quot rapuit nobis, tot munera laudum,
    Tot tibi nunc meritae gaudia laeta feret:
Ut quae una heic fueras pulcherrima formosarum,
    Sis quoque in aetheria maxima honore domo.
Debuit anne diu in terris haec forma morari,
    Aut laude haec virtus tanta carere diu?
Hoc igitur quamquam sit continuis lamentis
    Deflendum nobis flebile dissidium,
Jam non & doleo, laetor magis: anne parentis
    Aetheriae meritis laudibus invideam?
Jampridem o caelo digna ac fulgentibus astris
    I, regina, domos ingredere o superas:
Sat tellus tibi culta diu est: nunc regia caeli
    Te vocat effuso caelicolum thiaso
Effulgens late; tibi plaudunt sidera, & una
    Aurea flammeolo (a) serta parant capiti.
Ecce altae patuere fores; viden omnia divum
    Agmina in occursum laeta volare tuum?
Ardenti viden & taedas dum quassat olympo,
    Pulcra Amor ut pulcher fulgeat in chlamyde?
Ille praeit nubem; qua tu levis astra subibis
    Flaventis rutilam lumine crysolithi,
Ac variis mira arte coloribus intertextam,

Iris

(a) Apocal. 12.... *& in capite ejus corona stellarum duodecim* &c.

Iris ceu suevit fulgere versicolor.
Qui fremitus circa comitum, quae carmina, quantus
Undique odor suavis funditur ambrosiae!
I felix: verum ipsa inter tot culmina laudum,
Tantaque caelestis gaudia concilii,
Si bene quid de te merui, ne sperne jacentem,
Neve sine immemori me effluere ex animo.
Ah procul iste metus, non es, quam gloria mutet:
Hinc cedes, nostri sed memor usque (*b*) feres
Sidereo magni e solio regina tonantis
Optatam in duris provida rebus opem.
Usque aderis terrae; sua per te fulmina ponet
Jam deus, & fontes pandet opum omnigenos,
Orantem quoties blande conspexerit: isti
An matri quidquam deneget omnipotens?
Sed levis ex humili surgens tellure per altum
Jam veheris, jam nos deseris aethereis
Circumfusa choris, rutilasque evecta per auras
Languidulis tete subtrahis ex oculis. (thus,
Jamque lates: qualis (*c*) quondam quum suave halans

I Uri-

(*b*) S. Benard. serm. de nat. virg. *Sic est*, ait, *voluntas ejus, qui omnia nos habere voluit per Mariam* &c. Et Augustinus; *sicut omnibus sanctis est potior, ita omnibus sanctis pro nobis est sollicitior* &c.

(*c*) *Quae est ista quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae, & thuris, & universi pulveris pigmentarii* &c. cap. 3. Cantic.

Uritur, aut costi gramen Achemenii,
Excitus ille solet multo vapor igne per aras;
Qui late in campos diditus aerios
Fragrantique hilarans minus atque minus loca odore
Spectantum cupida diffugit ex acie.
O ubi es? ah liceat nutantibus aera pennis
Findere, & aurati limen adire poli,
Aligeros inter juvenes quum regna triumpho
In tua regifico vecta pedem intuleris,
Quumque tibi dulci (*d*) occurrens cum conjuge proles,
Ostendens & opes, quas habet illa domus,
Imperii (*e*) sociam bona diva acceperit. ut te;
Coelicolae attonito lumine suspicient!
Ut subito impleri laetum dulcedine pectus
Quisque nova adventu sentiet alma tuo!
Ipsa autem immenso divini in lumine vultus
Absorpta ut penitis sensibus exilies!
Cur tenet ah tellus? utinam super aethera vecter;
Aoniis valeat lympha petita jugis.

(*d*) *Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Cantic. cap. 8.
(*e*) *Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate* &c. Psal. 44.

EXPLICIT MONOBIBLOS.

IDYLLIUM I.

IN NUPTIIS

ABUNDII REZZONICI

CLEM. XIII. FRATRIS F. URBIS SENAT.

ET

HIPPOLYTAE

BONCOMPAGNIAE LUDOVISIAE ec.



VATES.

NYmphae, Caſtalides nymphae, jovis aurea proles,
Munera ſi quando fuerunt mea dulcia vobis,
Nunc o, linquentes lauri nemus, & juga pindi
Florea, vos cupido hoc vati concedite munus.
Numine opus veſtro. toto nam gurgite tybris
Dum vocat Hippolyten, dum laeto murmure colles
Romulei, laudeſque ſonant & nomen Abundi,
Quem generum venetaeque omnes omneſque latinae
Optavere ſibi matres, an pectore vota
Solus clauſa tegam, nec quid mea carmina poſſint
Experiar, nec dona feram parnaſſia ſponſis?
　Carmina ſunt dicenda: adſunt non aurea vati
Poculaque, & pario ſpirantia marmore ſigna,

Quae donem, gemmaeque, & candenti ex Elephanto
Crateres ebeno picti: non murice vestes
Adsunt sidonio rutilae, nec mollia Serum
Vellera, quae tenui pulcre discreverit auro
Docta manus, varioque ornarit daedala cultu.
Carmina sunt mea dona. utinam, dum pronuba lucet
Fax bona, post longum qua non felicior arsit,
Haec quoque conjugibus placeat sylvestris avena!
Dicite Pierides: tenuem nec Abundius odit,
Culta nec Hippolyte cantum; dii amant quoque sylvas,
Jupiter & gracili pastorum gaudet avena.
Dicite: barbaricis opibus, spoliisque superbas,
Nunc veneri myrto sacra, nunc floribus auctas
Ecce triumphales Capitoli Hymenaeus ad arces
Et volat & festas inter subit atria voces
Connubii jam vincla, novis jam munera sponsis,
Sacra dionaeae portans jam gaudia taedae.
Quid spolia heic cerno, quid tela, & sanguine cristas
Rorantes? tecum tua sint fera munera Mavors;
Pacis Amor deus est; pacali evinctus oliva
Hymen o Hymenaee subi Capitolia. jam nunc
Laeta Quirinali procedet culmine pompa;
Dia venit jam nupta, venit jamque omine fausto
Dius & ipse sua pariter cum conjuge sponsus;
Et Venus in bijugis & Amor vectatur iisdem,
Aurea poma manu tenet illa, hic lampada quassat.
Cer-

Cernitis, ut juvenis blando suspirat amore
Saucius, atque oculos optata in virgine figens
Mille faces ac tela imo sub pectore sentit?
At nympha unanimi flamma succensa nec ipsam
Jam matrem ah! dulcem matrem, carumque parentem,
Non fratres, patriasque animo reminiscitur aedes:
Usque adeo gaudet formosi conjugis ore.
Talis & Andromache priameïo in Hectore flagrans,
Talis & aligero quondam jove Tyndaris orta
Inter amycleas forma pulcherrima nymphas
Ibat in Atridae flavi spectanda cubile.

Vos Jovis o Themidisque, Horae, gratissima proles,
Eunomieque Diceque atque Hirene praedives
Ducite io pompam; tuque o praecinctus oliva
Hymen o Hymenaee subi Capitolia: tempus
Spargere nunc flores, nunc circum mille volantes
Idalii pueri limen late omne rosarum
Puniceis sternant foliis, & molli hyacintho,
Et paphia myrto bene olenti: Juno puellam
Cum Venere in thalamum ducant; Hymenaeus, Amorque,
Ambo hilares, ambo juvenem comitentur ovantes,
Et rutilas de more faces & serta ferentes.
At chorus aequalis charitum per mutua nexis
Inter se manibus celeri plaudant pede terram
In numerum, ferus veniat dum vesper olympo.

O Amor, o Charites, o Hymen, o Hymenaee

Dicite io, magna jam dicite voce, triumphae,
Rurſus io, magna ter dicite voce, triumphe,
Partus honos ingens, parta eſt victoria vobis;
En ſubeunt ſponſi Capitolia celſa. quid ultra
Demoror? o fatis animae felicibus ortae
Salvete, o caelo miſſum genus! aurea vitae
Fila neant vobis concordi foedere Parcae:
Omnia fauſta precor. magnis vos aurea vitae
Ducite conjugibus, Parcae, ſic ducite fila.
  Myrtus ut idaliis, ut creſcit Amaracus hortis
Fertilis aſſimili foetu, quem candida Naïs,
Quem ſibi Amadryades ſtudio fovere puellae;
Sic domus haec ſimili ſuccreſcat prole parentum,
Virtutemque decuſque utroque e ſtipite ducat:
Ducite conjugibus, Parcae, ſic ducite fila.
  Ut viridi nunquam vitis divellitur ulmo,
Quum ſemel implicuit ramos, amplexaque inhaeſit,
Frigore ni boreae, calidi vel ſideris aeſtu
Areat alterutra; o veſtrum concordia ſervet
Sic thalamum, ſtabili ſic vos conjungat amore!
Ducite conjugibus, Parcae, ſic ducite fila.
  Caſta pudicitiam ſervet domus uſque, nec unquam
Juſtitiam pacemque optet; tum ſedula virtus
Aſſideat foribus cuſtos, tum copia pleno
Semper opes cornu fundat, nec ceſſet avarà
Uſque novas praebere, inopi quae dentur amico:
Du-

Ducite conjugibus, Parcae, sic ducite fila.

Rezzonidum propriumque fuit, propriumque manebit,
Non sibi, sed miseris ditescere. vos mihi testes
Romulidae, me vera loqui, me nota. quis unquam
Largius effusa stipe vos adjuvit egentes,
Quum malesuada fames, quum fata adversa premebant?
Ducite conjugibus, Parcae, sic ducite fila.

Testes & Venetae, testes Antenoris arces,
Quae toties sensere manus CLEMENTIS, & una
Indoluere, alio quum talem abscedere longe
Imperium in magnum viderunt, nec sua tantum
Posse, sed alterius solatia quaerere gentis:
Ducite conjugibus, Parcae, sic ducite fila.

Quid Nymphae gentemque loquar, proavosque atavosq;
Magnanimos? quid jam geminos, duo maxima Romae
Lumina, Gregorios? quorum benefacta silebit
Aetas nulla, licet veniat labentibus annis
Invida gens, tantam cupiat quae carpere laudem:
Ducite conjugibus, Parcae, sic ducite fila.

Progenies jam qualis erit? non deficit agros
Insita vis, nec poma suos oblita sapores
Degenerant, adsit cultus modo. sic bona gentis
Semina, sic virtus tardos transmissa per annos
Deficit haud unquam venturos alma nepotes:
Ducite conjugibus, Parcae, sic ducite fila.

Aurea progenies ergo florebit in oris

Romuleis, si non vestris majoribus unquam,
Nympha tuis simul alma, tuis simul inclyte Sponse,
Dissimiles Latium natos, prolemque videbit;
Utraque gens claro majorum gaudet honore:
Ducite conjugibus, Parcae, sic ducite fila.
O venias formose puer: te voce vocare
Auditae per noctem umbrae manesque piorum
Romulidum: seu bella juvent, seu civica jura,
Seu libeat, rutilo spectandum effulgere in ostro
Palladis inter opes musarumque otia sacra,
Heic exempla tibi Tarpeja ex arce petantur:
Ducite conjugibus, Parcae, sic ducite fila.
Quo tamen ah nimium fidens feror? ah male caute
Desine musa: tibi nondum sunt grandibus aptae
Vires, non dignae romano Consule laudes.
Vatibus haec servant aliis dij facta canenda,
Calliope quibus alma favet, quibus augur Apollo
Jam nunc venturos tam claro e sanguine natos
Enumerat gaudens, & fata arcana recludit.
Fors & ego accingar, vires quum firmior usus
Adjiciet. vos interea vitae aurea fila
Pergite ducentes concordi numine Parcae.



IDYL.

IDYLLIUM II.

FACTA BARBARORUM IN PALESTINAM INCURSIONE, CONQUERITUR PASTOR BETHLAEUS

Alexis.

* * *
* *

Hostis adest: patriis extremum in collibus herbas
Carpite oves, tenero dum canent mollia rore
Gramina, & egelidis zephytus ſtrepit aliger auris.
Ite citae: Daphnis vos en agit. o bone Daphni
Paſce pecus, rabidoque agros quum torridus aeſtu
Sol ſindet, ſaturum vitrei duc fontis ad undas,
Lucus ubi, & placidi Jordanis frigida ripa.
Ipſe heic bethlaea moerens ſub rupe jacebo:
Rupe ſub hac noſtro juvet indulgere dolori.
Nil noſtri misereris? Alexis te tuus orat,
Ipſe tua ſub rupe dolens Bethlaeus Alexis;
Cui ſaepe hirſutos longe a praeſepibus urſos,
Et duros ovibus voluiſti avertere morbos,
Te vocat auxilio o divum puer, o hominum rex.
Nam quid jam miſero reſtat? furit impius hoſtis,
Arma fremunt gentes vicinis undique regnis;
Hinc Arabes, hinc en rapidis Memphitica pubes
Fertur equis. nos jam fuimus: paſtoribus arva

Or-

Orbantur, stabula alta ruunt. quod gens tua tantum
Flagitium admisit? diversas quaerere terras
Cogor, & exilio sanctos mutare recessus
Aeger, inops. vos o fontes, vos o juga celsa
Thaboris, ah superum quondam lustrata choreis,
Grata deo sedes; solymae vos pulcra valete
Pascuaqua irriguique amnes sylvaeque lacusque.
Tuque vale tu dia specus, tu conscia partus
Virginei, dilecta vale domus. ergo ego numquam
Te visam? numquam cunas, atque annua sancti
Natalis jam sacra colam? quis limina sparget
Pallenti viola & ferrugineo hyacintho
Mollia odoratis miscens vaccinia calthis?
Sertum quis puero nectet? vel carmina dicens
Placabit pecori numen, pecorisque magistris?
Phylli, rosas jam mitte; argutam pulcher avenam
Frange manu o Coridon: fuerunt haec otia nobis;
Pars Arabum montes, pharias pars ibimus oras.
Ibimus heu! puer alme, neque echo garrula posthac,
Non platani, aut resonae referent tua nomina valles.
Nemo. tui jam cultor erit, tibi munera suplex
Nemo feret; densis heic crescet sentibus horrens
Carduus, aut tygris catulos heic aspera ponet.

Rupes o! felix rupes Bethlaea, tepentes
Has lacrymas, hos & gemitus extrema doloris
Signa mei cape, quaeque tuis nunc oscula saxis

In-

Infigo. mihi nulla gregis cura: ite capellae,
Ite agni; pecus omne licet sit praeda luporum;
Barbarus haec sata culta habeat, manuumque laborem,
Nil moror: at sanctae rupis stet gloria semper,
Semper honos stabuli. rapiat ferus omnia praedo,
Heic ego felicem possim traducere vitam;
Hoc precor, hoc unum puer o concede precanti.

Quid loquor ah demens? alias captivus in oras
Abripiar: linquenda domus, qua vagiit Infans
Dius, & agresti cubuit male fultus arista.
Huc mea spes recidit? precibus nec flecteris ullis
Alme puer: tibi vota quidem, tibi munera suplex
Saepe tuli, puro colui te pectore semper.
Heic mihi vicino crescunt canentia in horto
Lilia, sunt casiae, sunt auricomi narcissi,
Et lauri & myrti, quas, quum caper improbus ore
Jam laesurus erat, poenas mihi sanguine solvit.
Haec servo tibi dona, hinc serta halantia nectam;
Tu tantum ne sperne preces: hoc vivere in antro
Da, precor; aut obstant si votis aspera fata,
Heic saltem liceat letho finire dolorem.
Ipse quidem moriar laetus, defessaque claudam
Lumina, ubi primum vitales aetheris auras
Tu puer hausisti casta demissus ab alvo.
Jamque necem cupio: extincti miserebitur hostis,
Et tumulo nostrae caussam necis addet. Alexis
Heic recubat pastor, qui letho amittere vitam
Maluit, hoc absens quam longum vivere ab antro.

IDYLLIUM III.

EX MOSCHO LATINE VERSUM.

EUROPA.

DUlce olim Europae visum dea candida Cypri
Immisit, noctis quum pars extrema rubentem
Jam vocat auroram, jam nectare dulcior hyblae
Affusus per membra sopor tegit almus ocellos,
Veraque noctivagis pascuntur somnia formis.
Nam thalamis recubat dum tecti parte sub alta
Filia Phoenicis tum virgo Europa, videbat
Terrarum geminas pro se contendere partes,
Asidaqua, Oppositamque. os virginis utraque habebat;
Una peregrinae similis tamen, altera formae
Indigenae, natamque suam sibi jure petebat
Haec potiore; a se genitam memorabat, & annis
Nutritam a teneris. at fortior illa volentem
Hinc validis atque hinc manibus complexa trahebat;
Scilicet Europen, fatorum lege suprema,
Ab jove promissam dicens, sibi munus ut esset.
Virgo metu perculsa extemplo prosilit alto
E thalamo; veras ut res nam somnia vidit:
Tum trepidans, tum muta diu consedit, utramque

Et

Et faciem vigilans praesenti in imagine cernit.
Ut vero attonitae longo post tempore cessit
Ille stupor, virgo sic fata: quis o! mihi divum
Obtulit haec visa? aut quaenam haec me somnia terrent
Suaviter irriguo perfusam membra sopore?
Quae fuit, in somnis quam vidi, illa hospita? quam cor
Perculit eius amor? quanto suscepit & ipsa
Me studio, & blandis ceu gnatam adspexit ocellis?
O mihi iam faciles bene vertant somnia divi!

Sic ait; & socias surgens compellat amatas
Unanimes, aetate pares, & sanguine claras;
Cum quibus illa iocos semper miscebat, iniret
Seu choreas, puro ablueret seu corpus Anauro,
Candida odoratis legeret seu lilia campis.

Convenere citae: stant florigeri calathisci
In manibus, celerique petunt pede roscida prata,
Prata mari vicina, simul quae semper adibant
Et roseo foetu captae & resonantibus undis.

In medis calathum incedens Europa ferebat
Aureolum, visu mirum, Vulcani opus ingens;
Quem Lybiae dederat, petiit quum nympha cubile
Neptuni; illa dedit formosae Telephaëssae,
Sanguine quae fuerat sibi iuncta; haec munus habendum
Praebuit Europae genitrix gnatae. inclyta in illo
Gesta faber varia caelarat daedalus arte.
Auro namque inerat sibi nondum reddita, nondum

Cor-

Corpore mutato, sed adhuc bos Inachis Io,
Percita adhuc oestro, tendens per caerula gressus
Assimilis nanti: liquidis color additus undis
Caeruleus. gemini juvenes stant desuper ora
Litoris in summa; vultuque immotus uterque
Miratur per salsa bovem maris aequora euntem.
Jupiter heic inerat mulcens humentia colla
Aequoreae vitulae; cui mox sua cornua dempsit
Propter aquam, propter septemplicis ostia Nili
Virgineam reddens converso corpore formam.
Concolor argento Nili liquor ibat, ahena
Bos erat, ex rutilo fulgebat Jupiter auro.
Circum autem, summa calathi sub parte rotundi,
Ipse videbatur Maja generatus, & illi
Proximus Argus erat centeno lumine clarus.
Cujus purpureo volucris de sanguine nata
Plaudebat pennarum hilari gavisa colore,
Expandensque decus caudae, ceu carbasa picta,
Aureoli extremum calathi circumdabat orbem.
Tale opus, ac tali se munere laeta gerebat.

At nymphae postquam venere ad florea prata,
Captae aliis aliae gaudebant floribus: ungui
Narcissum haec tenero mollem legit; illa hyacinthum,
Haec violam, aut halans serpyllum; lapsaque passim
Et folia & frondes verna tellure jacebant.
Nec minus errantes aliae decerpere flavum

In-

Inſtabant in ſerta crocum: media ipſa legebat
Puniceam Regina roſam, formoſior una
Tanto aliis, quanto Chariſin Venus aurea praeſtat.
Sed neque erat florum ſtudio, neque virginis illa
Nomine laeta diu manſura. ut vidit ab axe
Namque deum genitor nympham, penetrabile telum
Senſit acydaliae veneris, quae ſola vel ipſum
Vincere ſueta Jovem, magno ſuccendit amore.
Ille quidem effugere & rabiem Junonis iniquae,
Fallere & incautae cupiens cor molle puellae,
Occuluit numen, mutato & corpore ſeſe
Induit in taurum; non ad praeſepia qualis
Paſcitur, aut curvo terram proſcindit aratro;
Non qualis ludit pecora inter agreſtia campo
Luxurians; nec qualis item, ſtridentia multo
Edomita cervice trahit qui pondere plauſtra.
Corpore flavus erat toto, ſed candidus alte
Fronte bovis media ſplendebat circulus: olli
Glauci oculi, & blando fulgebant igne coruſci;
Tum paria hinc atque hinc ſurgebant cornua celſo
E capite; haud aliter quam quum nova cynthia caelo
Invehitur, curvaque nitet nondum integra fronte.
Iamque aderat: veniens pavidas non ille puellas
Terruit adſpectu; ſed cunctae accedere gaudent,
Sed placidum manibus taurum contingere, vernum
Cujus odor dius prati ſuperabat odorem.

Eu-

Europae ftetit ante pedes, collumque fuperne
Lambebat mulcens: pariter formofa puella
Contingitque ipfum, niveafque abftergit ab ore
Laeta fuis manibus fpumas atque ofcula figit.
Mugiit haec inter bos lene: audire putares,
Mygdonia argutam fundit quam tibia, vocem;
Molliaque inflexit crurum curvamina, & herba
Procidit in viridi nympham cervice reflexa
Adfpiciens, praebenfque adftanti grandia terga.

Tum virgo tali voce eft affata fodales:
Dilectae o fociae properate; infidere tauro
Hoc juvet: ille quidem dorfum jam ftravit, & omnes
Ceu ratis excipiet. vifu eft quam lenis, & ore
Blandus hic! haud aliis fimilis: mens infidet illi,
Mens hominum facilis, folius & indiga vocis.

Dixerat, ac ridens tergo confedit in alto:
Dumque aliae accingunt fefe, jam virgine amata
Exiluit rapta taurus, greffuque volucri
Se freta proripuit citus ad neptunia. at illa
Defertas moefta conclamat voce fodales,
Brachiaque incaffum tendit; non ulla fequendo
Curfum aequare valet. namque ocyor ille relinquens
Litora, ceu rapidus delphin, maria alta fecabat.
Grandibus at phocis invectae gurgite ab imo
Nereides venere omnes, atque agmine pulcro
Implicuere choros; fummas perlabitur undas

Ne-

Neptunus pater ipse rotis, magnoque tridente
Sternit iter fratri. circum glomerantur in orbem
Humida gens ponti Tritones, laetaque conchis
Carmina raucisonis laetosque canunt hymenaeos.

Nympha jovis magni taurino in corpore fidens
Hac tenet incurvum cornu bovis, aurea at illa
Daedaleae collecta manu velamina vestis;
Ima tamen spumat canenti fimbria fluctu.
Ast humeros circum vestis sinuosa tumebat,
Ceu navis quum vela tument, nymphamque levabat.
Quae postquam patria longe a tellure recessit,
Nec jam usquam apparet litus, nec culmina celsa
Vertice frondifero; caelum undique & undique fluctus
Se circum ut vidit, tales dedit ore loquelas:

Quo divine vehis bos raptam? quisnam es? & o qua
Arte viam carpis, gravibusque insistere ponto
Haud horres pedibus? maris unda est pervia pandis
Navibus, horrescunt fortes vaga caerula tauri.
Heic tibi qui potus dulcis, quae pabula in undis?
An deus es? superos at cur quod dedecet, ultro
Ipse facis? lucis nec delphin curvus in altis,
Sylvicolae nec tauri errant in gurgite; at ipse
Per terramque ruis pelagusque: dat ungula remos.
Fors etiam volucri sublimis in aera nisu
Effugies, summumque petes novus ales olympum.
Me miseram! longe patris quae sede relicta

Haud ullas timui insidias, taurumque sequuta
Sola per undisonos temere vagor avia tractus.
Tu facilis Neptune, maris cui tradita cura est,
Adsis o! propiusque iuves: da visere tandem
Te comitem cursusque ducem. sine numine divum
Non ego monstriferas ponti feror acta per undas.

Sic illa; at contra taurus sic corniger infit:
Sume animos, Virgo, pelagi nihil unda nocebit.
Namque ego sum, quamvis videar bos esse tuenti,
Jupiter: in quodcumque volo, me vertere possum.
Nunc adeo tuus altus amor pulcherrima tauro
Assimilem, longum fecit metirier aequor.
Te Creta incolumem capiet, quae me quoque parvum
Nutriit; ipsa illic mecum iungere hymenaeo,
Magnanimosque dabis gnatos, qui ditia regna
Sceptriferi in cunctis magna ditione tenebunt.

Haec fatus, fecit rata dicta: apparuit undis
Creta; aliam in formam se Jupiter induit, & jam
Connubium celebrat, circum famulantibus Horis;
Illaque virgo prius, magni tum sponsa Tonantis
Progeniem dedit & gavisa est nomine matris.



IDY-

IDYLLIUM IV.

EX GRAECO BIONIS SMYRNAEI
Idyll. 1.

PARODIA IN MORTE ALEXIS.



Occidit heu pulcher; pulcrum lugemus Alexin:
Occidit heu! mecum lugent & Alexin Amores.
Ne recubes jam purpureo sub tegmine Phylli,
At surgens atrata sinus, percussaque palmis
Pectora, dic periit, periit dic pulcher Alexis.
Occidit heu! mecum lugent & Alexin Amores:
Taygeti misere jacet ille in collibus album
Saucius albenti femur apro, angitque parentem
Phyllida vix spirans. ater per membra volutus
It nivea heu sanguis, languentia lumina torpent,
Atque rosae fugiunt labris; simul oscula blanda
Dispereunt, quae non mater miseranda relinquet:
Cara vel extincti matri sunt oscula; at ille
Oscula quod figat morienti plurima, nescit.
Occidit heu: mecum lugent & Alexin Amores.
Dirum vulnus habet, dirum formosus Alexis;
Majus corde tamen vulnus fert mater in imo.
Circa illum complentque canes ululatibus auras,

Et nymphae lacrymantur Oreades: ipsaque Phyllis,
Sparsa comas, solis moerens in saltibus errat,
Moerens, nuda pedem; sua quo vestigia vertit,
Et laniant sentes, materno & sanguine rorant.
Ipsa tamen fertur per longas anxia valles,
Dilectumque iterat nomen, puerumque requirit.
Illius interea saliens e vulnere sanguis
Ibat, & undanti rivo foedabat honestum
Pectus, foedabatque sinum; rubet ilia tabo.
Heu miseram heu teneri plorant & Phyllida Amores:
Illa simul puerum amisit, simul oris honorem;
Pulcra fuit Phyllis, pulcher dum vixit Alexis,
Forma abiit matri, simul ac puer occidit. heu heu
Et fluvii jam Phylli tuum flent aurea luctum,
Et fontes o Alexi gemunt te in collibus altis.
En flores luctu rubuere, en anxia mater
Tristibus implevit collesque urbemque querelis.
Ah misera ah Phylli; periit formosus Alexis:
Reddidit atque Echo, periit formosus Alexis:
Quis dirum matris casum non lugeat? heu! heu!
Ut vulnus crudele parens, ut vidit Alexin,
Purpureum ut vidit circum latera ima cruorem,
Brachia protendens flendo dicebat: Alexi,
O mane, Alexi, ut te supremum perdita visam,
Ut te complectarque, labris jungamque labella.
Tum si quis cedente anima super halitus errat,
Oscu-

Oſcula ne tantum invideas ſuprema, fugacem
Ore legam cupido, luctumque explere juvabit.
Saltem haec, tu quoniam me jam fugis, oſcula mecum
Servabo, extremum hoc munus morientis habebo.
Ah procul hinc dilecte fugis; regemque tremendum,
Taenarioſque petis manes. ego perdita, vivam,
Fas matri nondum tecum deſcendere ad orcum.
Tu puerum tu diva meum Proſerpina natum
Accipe, tu potior: formoſum eſt quidquid ubique,
In tua jura fluit. me me crudelia flentem
Fata premunt; noſtro tu contra es laeta dolore.
Sic moreris, mea cura? ſimul jucunda voluptas
Ceu ſopor in tenues fugiens evanuit auras:
Orba tua eſt genitrix: tecum ſpes irrita ceſſit,
Atque domus ceſſit columen. maleſane quid apros
Venabare, feras cur tam formoſus adibas?
Sic flebat Phyllis; flebant cum Phyllide Amores.
    Ah miſera ah Phylli; periit formoſus Alexis:
Illa tot effudit lacrymas, quot fudit Alexis
Sanguinis exſpirans guttas; fletuſque cruorque
In varios abeunt flores, tellure recepti:
Lilia ſunt fletu prognata, cruore Amaranthus.
    Occidit heu pulcher; pulcrum lugemus Alexin.
In ſylvis natum genitrix ne perdita plores;
Heic torus, heic illi thalamus bene cultus, Alexis
Heic cubet: extinctus quamvis, eſt pulcher Alexis,

Exa-

Exanimis certe eſt pulcher, potiuſque ſopore,
Quam domitum letho dicas. nunc mollibus illum
Pone, ſuis cubet ut in veſtibus, in quibus olim
Aſſuevit ſacros per noctem carpere ſomnos:
Serta inter floreſque illum nunc pone; ſed una
Cum puero extincto florum eſt extincta venuſtas.
Circum & odoratis irrora unguenta alabaſtris
Perfundens: ſed non bene olent jam balſama, Alexis
Quum periit, quum fugit odor tuus optime Alexi.
Mollis puniceo jacet en velamine tectus
Ah dolor, & puerum pueri lacrymantur Amores:
Detonſique comas, inviſa hic ſpicula ſpargit,
Ille arcum iratus pedibus premit, ille pharetram
Pennigeram frangit; pulcros parat ille cothurnos
Solvere ab extincti ſura; gerit iſte lebetas
Auratos, vulnuſque lavat frigentis apertum
Rore ſuperfuſo, atque alis permulcet Alexin.
Ipſam omnes plorant ipſam quoq; Phyllida Amores,
Extinxitque faces Hymen, ſerta omnia rupit
In foribus, puero quae forte parabat; & heu heu
Carmen triſte ſonat, non Hymen o Hymenaee;
Heu heu propter Alexin adhuc magis, heu hymenaeum.
Phyllidis heu natum Charites flent; pulcher Alexis
Et periit, dicunt alterna voce querentes,
Alta voce magis dicunt, quam Phyllis & ipſa.
Parcae etiam pulcrum Parcae lacrymantur Alexin,
Et

Et revocànt cantu, sed jam nequit ille vocantes,
Non audire velit; retinet Proserpina captum.
Ergo modum lacrymis Phylli nunc pone; relictis
Nam choreis epulisque alio plorabis & anno.

F I N I S.



Typogr. errores sic Corrige.

Pag. 13.	v. 25.	intet		inter
pag. 23.	v. 4.	contedere ,		contendere ,
pag. 26.	n. q	po-us ,		potius ,
pag. 61.	v. 9.	dijecta		disjecta
pag. 61.	v. 10.	compagibns		compagibus
pag. 75.	v. 9.	paragrato		peragrato
pag. 111.	v. 2.	purpereis ;		purpureis .

Si quo in loco littera ulla geminata male, ut in verbo *Eno*, vel *Enato*, aut male adspirata, ut in voce *Telegonus*, nescio quo pacto irrepserit, facile ignoscas Lector, ac tute corrigas, oro.

